DE

MORBIS SIMULATIS,

PRAESERTIM IN MILITIBUS OBVIIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-MILITARIS,

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU

IN

UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

AD

SUMMOS IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OB-
STETRICIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

JOANNES SAMUEL AUGUSTUS ANSCHÜTZ,
BUDISSA-LUSATUS,
MEDICUS SUPERIOR TERTIAE COHORTIS IN LEGIONE
SAXONICA PRAETORIA
PEDESTRI.

Würzburg

WIRCEBURGI,
TYPIS C. G. BECKER, UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.
1834.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO,

BURCARDO GUILIELMO SEILER,

PHILOSOPHIAE, MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, POTENTISS. REG. SAXON. A CONSIL. AULIC. ET RER. MED. PUBL., ORDINIS SAXON. VIRTUT. CIVIL. EQUITI, ACADEMIAE CHIRURGICO-MEDICAE ET SCHOLAE VETERINARIAE DRESDENS. DIRECTORI, COMP. SOCIETAT. ERUDIT. SODALI,

ET

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO,
EXPERIENTISSIMO,

JOANNI CASPARO SAHLFELDER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, SUMMO EXERCITUS SAXONICI MEDICO, ACADEMIAE CHIRURGICO-MEDICAE DRESDENSIS PROFESSORI,

SOCIET. NATUR. SCRUTAT. DRESD. MEMBRO,

PRAECEPTORIBUS ET FAUTORIBUS MAXIME VENERANDIS ET SUMMA PIETATE COLENDIS

HUNC LIBELLUM,

GRATISSIMI ANIMI TESTEM, SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Si numerum librorum et libellorum de re medica scriptorum nostris temporibus ingentem perlustramus, profecto difficile erit, thema dissertationis de artis medicae argumento, quod hucusque accuratissime nondum tractatum fuerit, idoneum invenire. Nihilo secius multae adhuc quaestiones solvendae supersunt attamen: „Non omnia omnibus.“ [1]) Mihi tamen medico militari, per quindecim annos et in exercitu et in nosocomiis militaribus morbos simulatos iterum iterumque

1) Choulant, Anleitung zu dem Studium der Medicin. §. 81. —

observandi occasione oblata, hoc thema, quod his literis tractandum suscepi, prae ceteris arrisit, quia, quamquam e difficillima doctrina medicinae publice adhibitae — i. e. forensis — depromtum sit, tamen etiam ad medicinam militarem pertinet, vel adeo ad pathologiam specialem in universum referri potest: Observationes, inquam,

de morbis simulatis in militia saepius obviis.

Non ignarus, experientiam et doctrinam qualemcunque meam amplo hujus rei ambitui imparem esse, humanitate et benevolentia medicorum fretus, maxime ab illustribus medicis forensibus et militaribus superioribus petere audeo, ut hanc dissertationem benignissima cum venia acceptam dijudicent, quo mihi nihil gravius, nihil antiquius est.

Hocce maximi momenti argumentum jam plures eximii scriptores tractaverunt, e. g.

Galenus in libello, quomodo morbum simulantes sint deprehendendi.

Claudii Galeni opera. Ed. Kühn. Lipsiae. 1830. volum. XIX.

Jansen — de simulatis morbis, et quomodo eos dignoscere liceat. — Dissertatio medico-forensis. — Gotting. 1769.

Helbig, Bemerkungen über vorgeschützte Krankheiten. In Rust's Magazin der gesammten Heilkunde. 6r Bd. 2s Hft.

Marschall, practische Bemerkungen über die Inspection der Rekruten und über simulirte Krankheiten. — In Horn's Archiv für medicinische Erfahrung. 1827. 1 Stück.

Krügelstein, Erfahrungen über die Verstellungskunst in Krankheiten. Leipzig, 1828.

Mann, Dissertatio medico-forensis de via ac ratione, qua morbi simulati deprehendi possint. Lipsiae, 1820.

Schmetzer, über die wegen Befreiung vom Militairdienst vorgeschützten Krankheiten und deren Entdeckungsmittel. Tübingen, 1829.

Ohmes, de morbis, qui hominem ad militiam invalidum reddant, et de ratione, qua morbos simulantes sint deprehendendi. Diss. inaugur. med. Berol. 1831.

August Ferdinand Speyer, systematische Darstellung der ärztlichen Untersuchung des menschlichen Organismus. Ein Leitfaden zu richtiger Beurtheilung und Entscheidung zweifelhafter Gesundheitszustände in allgemeiner, als in besonderer Beziehung auf Rekrutirung und Militair-Entlassung. Hanau, 1833.

Praeterea autem nonnulli scriptores celeberrimi, ut Henke, Ruland, Metzger, Mende,

Friedreich, Isfordink, Hempel aliique, cum in commentariis et ephemeridibus literatis, tum in libris de medicina forensi et castrensi hanc rem accuratius explicuerunt.

EXORDIUM.

Cognitionem morborum simulatorum vel fictorum cuilibet medico, cum forensi, tum militari maximi momenti esse, nemo negabit. Neque tamen raro difficile, interdum difficillimum est, morbos simulatos accurate pervestigare; quid quod nonnunquam hoc ipso perscrutationis tempore et loco fieri vix potest, ut homines fraudis nequam commissae coarguantur, — quia nonnulli morbi revera facillime et simillime fingi possunt, quarum simulationum exempla celeberrimi Henke, Metzger, Krügelstein, Mende, Isfordink aliique multa retulerunt; quia medici necessariis ad aperiendam morborum simulatorum fraudem adjumentis et observatione diuturna in nosocomio saepe carent, e. g. in judicio statim exhibendo, in punitionibus, in conscriptione militum aliisque in rebus, cujus rei difficultas eo praecipue elucet, quod, etiamsi fraus fere detecta esse videatur, impostor non prorsus coargui potest; — denique quia perscrutantes, symptomatibus pathognomonicis deficientibus, tantummodo in iis, quae deceptores ipsis indicaverint, acquiescere debent.

Medico forensi pariter atque militari ejusmodi occasiones judicii repente solvendi haud raro offeruntur.

Etiamsi nostris temporibus morborum simulatio apud milites neque tam crebra, nec tam rudis sit, qualis prioribus fuerit, quia plurimi adolescentes timore sublato militiam majore studio amplectuntur, tamen non desunt, qui morbos diversos callidissime simulent et fingant.

Tempore enim superiore, quo non conscriptio, sed conquisitio singulorum in usu erat, milites, castigationibus multo severioribus et crebrioribus affecti, a militia maxime abhorrebant, quare non mirum erat, quod juvenes tunc temporis tanto tenebantur timore, ut morbos dictu et visu horribiles fingerent; quin etiam notum est, nonnullos juvenes ad militiam coactos eo progressos esse timoris, ut singulos corporis articulos mutilarent vel ipsam mortem sibi inferrent, cujusmodi exempla seculo praeterito in pluribus terris occurrerunt.

I.

Pars generalis.

De morbis simulatis generatim.

Simulatio morbi ea fraudis ratio vocatur, qua quis phaenomena morbi cujusdam, quo nullo modo laborat, praetexit vel, quantum fieri potest, imitatur.

At si quis rebus noxiis adhibitis laesiones partium externarum vel functionum organorum internorum sibi contrahit, haec minime simulatio nominanda est, quia morbus revera adest, quamvis arte provocatus.

Itaque ulcera, inflammationes oculorum aliarumque partium, profluvia etc., quae finguntur, ad morbos simulatos proprie sic dictos non pertinent, quippe qui a medico animadvertantur.

Cum deceptores autem his morbis quasi artificialibus alias causas externas internasve subesse indicent, atque revera subsunt, vel cum dicant, mala, de quibus queruntur, chronica esse et insanabilia, hi status etiam ad simulationes latiore sensu accipiendas referri possunt, quare morbos simulatos, praetextos vel fictos vel studio et voluntate acquisitos has conditiones appellamus, quibus deceptores quacunque de causa utuntur, ut symptomata morborum internorum vel externorum ad maxi-

mam usque verorum similitudinem imitando exprimant vel arte provocent.

Fraudis igitur duplex est ratio et modus, nimirum:

Partim impostores morbos internos ementiuntur, qui vel tempore praesente non facile cognosci possunt, sed tantummodo certo quodam temporis spatio elapso phaenomenis quibusdam observantur, — vel qui verbis tantum sine ullis indiciis in corpore conspicuis indicantur. Huc pertinent: Nonnullae aegrotationes animi nervorumque — ut
hypochondria, melancholia et mania, epilepsia, catalepsis, vertigo etc.;
quaedam affectiones dolorosae — ut dolores nervosi, affectiones rheumaticae et pectoris chronicae, colica etc.;
aliquot morbi organorum sensuum — e. g.
amblyopia, dysecoia, sensuum errores, aphonia etc.;
evacuationes praeternaturales, quae vomitu, tussi, statu haemorrhoidali, diarrhoea etc. producuntur.

Partim reperiuntur, qui morbos variis rebus noxiis adhibitis sponte sibi inferant, quod fieri solet sub forma inflammationis externae, suppurationis, ulcerum, exanthematum diversorum, praecipue crustaceorum, sicuti exhalationum cutis foetidarum, odoris ex ore foetidi, oedematis pedum, pariter atque aegritudinis et motuum febrilium.

In aliis simulationibus fraus statim detegi potest, atque definiri, num morbus adsit verus, nec ne, e. g. in hernia, in cataracta, in exhalatione cutis foetida et in nonnullis morbis plerumque externis facillime detegendis.

In aliis vero affectionibus simulatis, quod saepissime fit in morbis internis, longum temporis spatium ad observationem maxime necessarium est.

Praeter duas, quas attuli simulationis rationes, alia superesse videtur. Etenim saepius accidit, ut viri mor-

bos, quibus revera affecti sunt, majores et pejores indicent et fingendo augeant, quod saepissime in statu haemorrhoidali, in affectionibus pectoris et artuum dolorosis occurit.

Hanc fraudis rationem Zacchias [1]) simulationem latentem nominat, quae difficillima plerumque detectu est.

II.

De variis morborum simulatorum causis.

Causae, quibus multi homines ad morbos simulandos commoveri solent, maxime variae sunt; quae quidem apud nonnullos homines et in pluribus vitae conditionibus statim cognoscuntur, quod fraudatores, morbum aliquem simulantes, qui bonum aut malum consilium adepturi deceptionem veram et voluntariam committunt, a poenis dandis, nimirum a custodia et a verberibus, vel ab officiis praestandis sese tueri et liberare student, vel inde, quod lucri cupiditate ducti, misericordiam aliorum excitaturi victum sibi quaerunt. Militibus triplex ratio consiliorum sibi propositorum esse solet. Est enim manifestum, ad militiam conscriptos cum horrore hujus conditionis affectos et abominatione ductos, tum alio proposito maxime vario, e. c. matrimonio jungendo vel munere civili suscipiendo, ad simulationem interdum commoveri.

Iis, qui jam per aliquod temporis spatium stipendia merentur, idem consilium, quod antea dixi, esse potest, vel etiam timor poenae et castigationis meritae vel belli imminentis vel judicii forensis.

Qui denique jam per longum tempus stipendia fecerunt, morbos veros, quos praecipue a militia ipsa

---

1) Zacchiae quaestiones medico-legales. Libr. III. quaest. I.

exortos contendunt, majores et pejores indicant et fingendo augent, ut largiora militiae stipendia et beneficia annua aliaque commoda sibi acquirant.

Itaque morbos simulatos fictosque in conscriptione militum, in perscrutationibus forensibus, in punitionibus, in ergastulis etiam, in nosocomiis et in ptochotrophiis etc. creberrime observamus.

Nonnunquam, quae causa simulationi subsit, perscrutari vix possumus, quia nobis raro contingit, ut rationes et commoda fraudatorum clandestina maxime varia detegamus. Quoties enim causae morborum simulatorum repetendae sunt ex animi affectibus, e pigritia, ex amoribus, vel e sola pertinacia et obstinatione et e vitiis pessimae consuetudinis, quae altera natura facta est, vel adeo ex insolentia et ex admirationis aliorum excitandae studio!

Interdum impostores, de aliorum commodis aliquid detracturi vel damnum iis illaturi, eo pertinaciae progrediuntur, ut, quod nonnisi in simulatione latente fieri solet, dolores multo majores vel mala adaucta indicent.

Quid quod jam in vita communi interdum difficile est, causas simulationis, quas supra enumeravi, praecipue latentis, quae e pigritia, e castigationis timore, ex obstinatione et e cupiditate admirationis, vel adeo e sola ignorantia saepius proficisci solent, plane perscrutari. Quare medici semper intererit, ut in omnibus morbis suspiciosis nexum causarum verum inquirat, cui interdum simulatione jam dudum neglecta contingit, ut veram causam forte casuque intellegat.

III.

De difficultate, quae occurrit in morbis fictis perscrutandis.

Ex his, quae et in capite primo de morbis simulatis generatim, et in secundo de variis, quibus simula-

tiones fiunt, causis exposui, quam difficilis morborum simulatorum et fictorum cognitio et disquisitio sit, quodammodo elucebit, praesertim cum causas suspiciosas, fallacias et consilia decipientium proposita nullo modo statim detegere possumus, sed tantum tempore posteriore sperare debemus, fore ut fraus interdum detegatur.

Quare medici morborum fictorum occasiones observandorum nacti, qui etiam, necessitate urgente, judicium de vero aut falso eorum statu idque illico tulerunt, omnes ad unum consentient et testabuntur, perscrutationem accuratam in rebus difficillimis et simul ingratissimis esse habendam.

Cujus quidem rei difficultas et molestia inde potissimum patet, quod permulti morbi a deceptoribus facillime et simillime fingi possunt, et experientia edocti scimus, homines versutissimos et morborum simulandorum maxime peritos ad miram usque pertinaciam progressos esse; quod haud raro inveniuntur, qui medicamina interna externaque fortiora a medico inquirente adhibita per longum temporis spatium pertinaci animo sustinere et tractationi durissimae sese subjicere, quam a fraude proposita, recedere malint. Sententiam, quam veteres medici, praecipue vero Zacchias posuerunt: — simulatores medicamina fere semper rejicere, — novis temporibus repudiatam et improbatam e pluribus exemplis videmus. Sic Helbig narrat, militem hemiplegiam per longum tempus ita simulasse, ut vel medici superiores putaverint, eum paralysi revera affectum, omniaque adhibita medicamina interna externaque irritantia et derivantia pertinacissimo animo sustinuisse, quin personam impostoris agere desierit, et tandem e nosocomio effugisse, quamvis nonnullis horis ante praetexuerit, se articulos omnino movere non posse. Aliud exemplum Krügelstein commemorat, quod Romeyn Beck observavit: Mi-

litem, qui poenam desertionis timebat, anaesthesiam a decimo sexto Aprilis ad octavum Julii simulasse, et medicos adeo, multis remediis ipsaque electricitate adhibita, incisione galeae aponeuroticae capitis usos esse, ut viderent, num cranium laesum sit; quam operationem miles tranquille sustinuerit, ita ut medici putarent, morbum revera tolli non posse. Sed vulnere capitis sanato, miles, dimissione accepta, nonnullis diebus post patrem in domo tegenda adjuvit.

De auctoritate medicorum multum detrahit, vel putantium, morbum aliquem per longum tempus simulatum esse, qui postea, re accuratius perspecta, verus comprobatur, vel eorum, qui simulationem feliciter praetextam adhibitis omnibus artis adjumentis ac subsidiis detegere et ad vivum resecare nequeunt, ideoque efficiunt, ut alii auctoritate medicorum diffidant.

Qua de causa eorum dignitas, patientia in hominibus versutissimis investigandis abjecta et arbitrio soluto, in quolibet erroris casu maxime imminuitur, praesertim cum vero morbo laborantem simulationis accusaverint.

Plura exempla referre longum est, sed acquiesco in exemplo, quod Krügelstein in prooemio libelli de morbis simulatis commemorat: Martialem jam diu ante nostram aetatem medicos, qui aliquem febre tertiana laborare putarent, irrisisse iisque acclamasse: « O stulti, febrim creditis esse? gula est! » [1]) Interdum ad fraudem ostendendam non solum scientiae diagnosticae subtilitas, distinctio symptomatum accuratissima valet, sed etiam ampla et probata experientia et quaestio omnium vel minimarum rerum, quae secundariae videntur, et con-

---

1) Martial. Epigramm. Libr. II. 40.

ditionum accuratissima est necessaria, quarum ignoratione medicus saepius impeditur, quominus morbum simulatum accurate inquirat, praesertim cum ea, qua par est, observandi patientia carens pertinace simulatoris animo facillime excitetur et offendatur.

Itaque medicus ipse, ubi falsa suspicione inductus injuriam alicui intulerit, maximo dolore afficietur; sic Krügelstein exemplum tironis a Foderé allatum commemorat, qui doloribus vagis vehementibus se laborasse dixit; medicus autem, omnibus signis plane deficientibus, eum simulare arbitratus est; quid multa, tiro paulo post diem supremum obiit. Utinam medici inde cognoscant, quam subtili et accurata observatione opus sit, antequam judicium definitum feratur.

Porro difficultas simulationis patefaciendae inde patet, quod medici est, animo volvere et perpendere, sibi judicanti rem ipsam esse praestandam, seque in periculo esse, ne aut injuriam alicui faciat, aut militiae aliquem subtrahat.

Medicus perscrutans remedia varia ad simulationem detegendam non omni tempore in promtu habet, quam etiamsi suspicetur, impostorem tamen fraudis illico coarguere nequit, quo nihil interdum difficilius est; vel adeo e multis simulationis exemplis cernere possumus, impostorem ab aliis e. c. ab amicis fociisque in fraude continuanda adjuvari;

porro multi, qui se morbis affectos esse dicunt, e. g. tirones conscriptionis tempore medico confestim inquirendi sunt, quin ei antea noti fuerint.

Denique difficultas, quam explicare studemus, inde patet, quod morborum simulandorum ratio pristinis tem-

poribus magis cruda erat dicenda, ubi potius morbi externi, saepe visu horribiles, et deformitates, faciles tamen detectu fingebantur; recentioribus autem ratio morborum simulandorum callidissima interdum et subtilissima, ideoque perscrutatio generalis et ars, impostorem omnino fraudis coarguendi, difficilior et complicatior est.

Metzger, Henke, Krügelstein aliique medici exempla majoris momenti permulta, praesertim de morbis animi fictis, enarrant, quibus, quanti facienda sit dignitas et difficultas arbitriorum, satis superque confirmatur.

IV.

De morbis, qui prae ceteris simillime et facillime praetexuntur et finguntur.

Varios morbos jam temporibus antiquissimis fictos esse, etiamsi fraus nonnullorum e causis improbis non exorta sit, et e codice sacro et ex aliis libris videmus; sic Friedreich in libro de historia literaria morborum psychicornm [1]) paranoiam a Davide rege simulatam commemorat, et Schmetzer in dissertatione de morbis simulatis nobis plura temporum pristinorum exempla in mentem revocat arthritidis simulatae, fistularum ani voluntarie effectarum, amentiae praetextae et sic porro; idem enarrat, plures nauticos classis Lusitanae anno 1588 tempore belli contra Anglos gesti, aegritudinem simulasse, ad quam confirmandam sanguinis missionem sustinuerint.

---

1) Versuch einer Literärgeschichte der Pathologie und Therapie der psychischen Krankheiten. Pag. 5.

Ipsi Galeno necessarium visum est, in libris, quos conscripsit multos, verba de morbis simulatis facere, et Ambrosius Paraeus [1]) plurimorum morborum simulatorum mentionem fecit.

Tempora etiam posteriora et recentiora docuerunt, plurimos morbos ab impostoribus praetextos fictosque esse, quos simulari posse, vix quidam crediderit.

Morbi vero facilius fingi possunt, qui singulorum symptomatum sese excipientium magnam prae se ferunt varietatem, porro qui nulla phaenomena in systemate vasorum, in excretione sudoris urinaeque, in vultu aegroti, in toto ejus habitu ostendunt.

Quid quod deceptores interdum astuti et callidi simulationem morborum eo perducunt, ut medicis experientia bene edoctis et maxime exercitatis vix contingat, qui fraudem eorum aperiant. Huc pertinent praecipue morbi spasmodici et animi mala, diversae corporis affectiones dolorosae.

Verumtamen exempla simulationis morborum, quorum symptomata essentialia difficillime vel omnino non fingi possunt, a medicis passim observata sunt. Praesertim hos morbos praetextos vel fictos a medicis observatos videmus:

E morbis spasmodicis aliisque nevrosibus et statu ecliptico:

Convulsiones et epilepsiam, choream st. Viti, tremorem artuum, aegritudinem, paralyses, tetanum, catalepsin, apoplexiam, lethargiam, deliquium animi, anaesthesiam et ipsam asphyxiam.

E morborum animi classe:

Hypochondriam et hysteriam, maniam, ecstasin, anoiam, melancholiam.

---

1) Paraei opera chirurgica. Libr. XXIII. cap. XVIII. De mendicantium vaframentis.

Morborum sensuum externorum simulationes, quae observatae sunt:

Inflammationes oculorum et bulbi ipsius et partium ambientium, amblyopia et amaurosis, cornea opaca et ipsa cataracta, myopia, dysecoia, cophosis et aphonia.

Affectiones dolorosas organorum internorum acutas simulatas observaverunt medici;

Cephalalgiam, pleuresiam, colicam, dolores nervosos, dolores e calculis urinariis et lithiasin, affectiones rheumaticas et arthriticas, coxalgiam et claudicationem.

Morbi pectoris abdominisque aliique chronici simulati:
Affectiones pectoris asthmaticae et debilitas pectoris, tussis et status phthisicus, palpitatio cordis perversa; stases abdominales et intumescentia abdominis, icterus, defectus appetitus et abstinentia ab omni cibo potuque, odor ex ore foetidus, color cutis pallidior et cachexiae generatim.

Morbi cutis simulati fictique: Ulcera, fistulae et excoriationes, inflammationes externae, exanthemata erysipelatosa et pustulosa.

Simulatio deformitatum et tumorum variorum:
Contracturae et deformitatum et mutilationum a fracturis, luxationibus aliisque relictarum, humeri altioris, coxae magis altae, deformitatis columnae vertebralis — polyporum, prolapsus, herniae, hydroceles, oedematis.

Evacuationes abnormes et praeternaturales simulatae:
Profluvia sanguinis ex ano et fluxus haemorrhoidalis, sedes cruentae, haemoptysis, vomitus cruentus, vomitus, diarrhoea, incontinentia urinae, ischuria, sudores foetidi, evacuationes rerum praeternaturalium.
Denique

Status febrilis et inflammatorius simulatus, ut:
Motus febriles et inflammationes praetextae.

In hoc morborum simulatorum indice, in quo minus divisionem morborum secundum pathologiam respexi, eos prae ceteris commemoravi, qui in militia occurrunt. Attamen in dissertatione mihi liceat velim, nonnullas regulas et exempla, quibus morbi simulati cognoscantur, ex autoribus medicinae forensis praeclarissimis afferre.

V.
Praecepta generalia de morbis simulatis cognoscendis et aperiundis.

Quodsi in universum maximi momenti est, statum morborum internorum et externorum, nimirum causas et phaenomena, quantum fieri potest, accuratissime explorare, medicus, suspicione simulationis exorta, perscrutationem accuratius etiam instituet, ita quidem, ut ne fraudator diffidentiam in suis ipsius verbis et in sua valetudinis conditione positam percipiat. Medicus igitur caveat, ne verbis ancipitibus et adspectu severiore, impatientia et animo vehementer excitato fiduciam simulatoris plane amittat eumque pertinaciorem reddat.

Medicus simulantem aegrotum maxima cum patientia et prudente cura summaque humanitate examinet, indicia ac singula ejus dicta accurate adnotet, quaestiones ancipites de sede et phaenomenis morbi ei proponat atque inprimis speciem morbo propriam, quam simulat fraudator, diligentissime in mentem sivi revocet, necesse est, ut phaenomenorum indicatorum comparationem cum iis, quae in morbo vero occurrunt, prosperrime instituere possit.

Quod quam difficile et impeditum sit, permultis simulationum exemplis, quae medicis insignibus et ampla experientia edoctis obvenerunt, satis superque probatur.

Qua in re animadvertendum est, non solum statum morbi anamnesticum, sed etiam in toto decursu omnia causarum et symptomatum vel minutissima momenta respicienda esse, ita ut accurate videamus, num symptomata inter se consentiant, an nonnulla justo graviora indicentur, et an quaedam essentialia omnino deficiant.

Etenim notum est, phaenomena morbi veri interdum ad singulas periodos evanescere vel minui, qui quidem status periodicus a simulatorio distinguendus est. Nam saepe accidit, ut deceptores rationem symptomatum contrariam et vero morbo repugnantem afferant, qua de causa observatio diligentissima continuanda est, donec fraus omnino detecta, aut morbi veri cognitio accuratissime patefacta sit.

Praeterea medici interest, quaerere, num morbus subito nulla causa antecedente ortus sit, an sensim paulatimque apparuerit.

Etiam dijudicabit medicus, num causarum et initii morbi, quem fraudator fingit, eadem sit ratio, quae veri.

Medicus inquisitionem morbi saepius, diversis autem temporibus, et semper varia ratione instituet, interdum subito praeter omnem simulatoris exspectationem repetet, ita ut symptomata non constanter dicta accurate observare et simul animadvertere queat, num simulans eadem semper phaenomena indicet et in querelis sibi constet.

Quid quod versutissimis fraudatoribus quaestiones, quae ad morbum ipsum non pertinent, proponet, quibus simulans ad alias querelas edendas deducatur.

Attamen commemorare opus est, perscrutationem simulatorum, qui morbis animi se affectos prae-

tendunt eosque imitantur, eo prudentius et cautius faciendam esse, quo difficilius est, ejusmodi fraudatores, qui jure meritoque versutissimi habentur, enudare, et quo majus detrimentum inde oritur, quod aliquis, qui non simulat, perscrutatione ipsa magis excitatur vel deprimimitur. Porro medicus, indiciis fraudatoris comparatis, circumspiciat ejus constitutionem, vires, musculorum rationem, visum vultumque, systema vasorum, pulsum, systema gastricum, linguam obtectam, utpote totum corporis habitum et materias excretas accuratissime observet, quibus quidem rebus saepe verissima argumenta et axiomata totius perscrutationis niti, nemo negabit.

Denique medicus illam corporis partem, quam aeger affectam esse dicit, omnibus fasciis et vincturis remotis, diligentissime perscrutetur; sic in haemoptysi simulata sputa et totam oris cavitatem, in haemorrhoidibus e. g. fluentibus excrementa et intestinum rectum, in polypo simulato fauces et nares etc. Etenim quantum fieri poterit, causae et rationes, quibus quisquam ad simulationem duci potest, et quibus, quanto sunt plures et graviores, tanto redditur certior et gravior suspicio, accurate perspiciendae sunt, ita ut medicus ingenium fraudatoris et mentem exquirere studeat; porro apud familiares ejus, vicinos et socios vitae anteactae rationem ac negotia, quin etiam vivendi consuetudinem et omnia, quae ad patefaciendas fraudis causas valeant, prudentur perscrutetur, pariter atque dispositiones ad quosdam morbos proprias.

Neque minus est considerandum, num morbus, de quo agitur, ad eos pertineat, quos fraudatores saepissime imitari, an ad eos, quos rarius et difficilius fingere possint; namque in dubium nemo vocabit, morbos functionum, quae voluntati parent, et morbos externos rebus noxiis et arte acquisitos facillime simulari.

Qua de causa non mirum est, eos saepissime obvios esse, e. g. convulsiones, epilepsiam, tremorem artuum, morbos animi, — ulcera, inflammationes externas, ophthalmias, statum gingivae scorbuticum aliosque morbos. In simulatione vero pertinaciore ad veritatem explicandam homo callidus et versutus omnibus temporibus et ubique accuratiori custodum fide dignorum curae subjiciatur, propterea a consuetudine familiae, cognatorum et amicorum removeatur et arceatur, ita ut continuo solus observatus, ab aliis hominibus nihil accipiat, cujus ope fraus continuari possit; quod commemorare non alienum est, quia morbi simulati rarissime deteguntur, si fraudatores in rebus domesticis versantur. Quod attinet ad militiam, simulatores semper in nosocomio observandi sunt.

Ipse autem medicus eo, quo simulantem observat, tempore aegrotorum curatoribus vel captivorum custodibus fide dignis, qui et a partium studio et ab improbitate atque duritia alieni limpidam et integram veritatem usque quaque indicent, niti debet. Nonnulli enim morbi statim vix dijudicandi sunt, ideoque fraus non subito detegi potest: huc referantur epilepsia, cujus paroxysmi rarius incidunt, omnesque animi nec non nervorum morbi. Sed, rebus ita fluentibus, medicus testimoniis praecipue aliorum medicorum sicuti sacerdotum et clericorum, praeceptorum, judicum vel aliorum hominum fide dignorum uti debet.

Qua in re consumtionem medicaminum adhibitorum praescriptam observabit, ne haec celentur neque clam abjiciantur; porro effectus medicaminum in excretionis urinae alvique etc. animadvertendi sunt.

Accuratissime inquirendae sunt vestes simulantis omnes, lintea, spondae, stragula aliaque ad usum vulgatum pertinentia et omnia, quae eum cingunt; quia

etiam nonnullae corporis cavitates, quoad fieri potest, e. c. cavitas oris, praecipue spatium inter processus alveolares et buccas, meatus auditorii externi, foveae axillares, orificium ani, adeo capilli inspiciendi sunt, quia exempla docuerunt, astuto varias res, quibus simulationem efficerent, his in locis abscondisse.

Quare omni cura impediendum est, quominus internis vel externis medicaminibus noxiis utatur impostor, quibus morbum quasi artificiosum sibi contrahat.

Medicus ut per custodes et aegrotorum curatores aptos et bene exercitatos, veritate deprehensa, fraudatorem omnino coarguat, clandestina simulatoris observatione diversis diei et noctis horis per fenestras, rimas portarum et parietum facta interdum uti debet, praesertim inspecturi, qualem simulator se gerat et quem praebeat vultum, quippe qui se in amicorum societate a medico absente omnino non observari putet.

Neque erit superfluum, simulatorem dormientem perscrutari, et pulsum, temperaturam cutis, respirationem, cubitum ipsum aliaque diligenter inquirere.

Pariter atque non alienum erit, simulatorem improviso excitatum videre, v. g. laetitia, cognatis salutantibus, aliaque animi affectione, vel in simulatione morborum animi de his rebus loquamur, quibus aegri veri animus commoveatur, ubi simul pulsum et vultum totamque se gerendi rationem accurate observemus.

Mann exemplum tironis affert surditatem simulantis, sed fraudis ex improviso et subito coarguti, dicens: Centurionem ad hominem (tironem) ordines servantem accessisse, eique in aurem leniter dixisse, «heus tu! pudeat te, braccas apertas habes», tironem fraudis subito oblitum, repente braccas claudere studuisse. Quae exclamatio repentina et inopinata optimum remedium ad fraudem aperiundam fuit.

Nonnunquam simulator ebrius explorandus est, quippe qui dolum facilius obliviscatur, et interdum lingua loquaci sociis et custodibus plura aperiat, quam sobrius, quod vetus ait proverbium: In vino veritas.

Krügelstein exemplum affert, aliquem, qui se surdum mutumque simulaverit, per aliquot annos custodes et socios adeo fefellisse, ut fraudem minime suspicati sint; sed aliquando surdo-mutum spiritu vini ebrium, auribus et voce usum dixisse, se personae fraudatoris taedere.

Attamen quaecunque res et conditiones sint, medicus erga impostorem se cautum gerere studeat, ne eum pertinaciorem et obstinatiorem reddat, neque ejus fiduciam amittat; unde apparet, quam difficile sit, medium tenere, ita ut medicus neque severior neque indulgentior sit.

Quidquod medicamina, quorum minimus in organismum effectus est, hoc praetextu adhibenda sunt, ea esse efficacia remedia et contra istud malum optima; ita ut utamur e. g. mixtura e syrupis simplicibus et aqua fontana parata, pillulis e mica panis factis — pulvere e saccharo et radice liquiritiae trito etc.; vel medicus medicamina interdum dare debet, quibus effectus oppositus et contrarius (sine ullo corporis detrimento) producatur. Neque minus pertinaciam simulantis obstinatumque ejus animum defatigare studeat diaeta minima et tenuissima, externis remediis irritantibus (quatenus morbo indicato respondere videantur), medicaminibus internis ob taetrum saporem injucundis, e. g. pulvere ex asa foetida, ipecacuanha, guajaco aliisque similibus parato. Sic Speyer pulverem teterrimi saporis e floribus chamomillae, sale ammoniaco, asa foetida et ipecacuanha laudat, cujus usus in fraude detegenda spem et operam nunquam fefellerit.

Neque minus juvat, pertinaciam simulantis defatigare diuturna in conclavi commoratione, inprimis cum tempestas amoena et coelum serenum sint, atque cubatione perpetua; vel minari, operationem maxime dolentem vel poenas instare, vel, ubi haec remedia indicatione requiruntur, adhibere rubefacientia, vesicantia et ipsa corrodentia, e. g. ferrum candens, moxam, vapores fervidissimos etc., qua ratione verum interdum brevi cognoscitur. Interdum fraus facilius aperiunda videtur, ubi praeteximus signa, quae longe aliena sunt, morbo vero propria esse, observantes, num nostris verbis deceptus symptomata, quae tanquam vera tulimus, postea indicet et fingat.

Nonnunquam id agamus, ut simulantem maxima contemtione afficiamus et morbum indicatum nullo modo respiciamus, cujus quidem rationis Isfordink [1]) successum laudat.

Quemadmodum, ut supra dixi, inveniuntur, qui omnia medicamina respuant, sic nonnulli sunt, qui multa remedia postulent, quin etiam medicamina externa, irritamenta maxime efficacia perferant; unde luculenter apparet, desiderium medicamentorum saepius indicium simulationis esse habendum.

Accuratissima perscrutatione et observatione instituta et continuata, statu morbi cum momentis aetiologicis diligentissime comparatis, conditionibus simulatoris prioribus mutatis et rebus minimis respectis, deceptor esset versutissimus et callidissimus, si medicus peritus simulationem detegere non valeret; sin minus, fraus interdum longo temporis spatio interjecto forte casuque aperiretur. Cujus suspicio, ubi firmissima est, comminationibus antecedentibus, castigationes quoque tanquam

1) Isfordink, militairische Gesundheits-Polizei. Pag. 45.

remedia ad veritatem deprehendendam et ad correctionem adhibere, jure meritoque licebit, quae ratio, quo minus in nosocomiis militaribus et generalibus, eo magis in ergastulis apta et consentanea est.

VI.

De ratione, qua juvenes ad militiam conscripti perscrutandi sunt.

Licet in hac dissertatione neutiquam mihi propositum sit, copiose exponere, qua ratione et quo modo perscrutationes (injucundissimum profecto medici officium) instituendae sint, facere tamen non possum, quin caput breve de perscrutandi modo adjungam, quippe cum tota dissertatio praecipue de morborum simulatorum investigatione agat, qua fraus ad vivum resecetur et veritas occulta aperiatur. Cujusmodi explorationes praecipue in militia obvenientes medicis militaribus superioribus duntaxat respiciendas esse censeo, si quaestio oritur, num adolescens quidam militiae aptus sit, nec ne, vel si poenae a militibus repetendae sint, vel si qui morbos simulent.

Quae quidem explorationes cum jussu tantum praefectorum exercitus vel legionis fieri soleant, medicus jam antea, quatenus fieri potest, certior fit, qui et quales explorationi subjiciantur.

Quamvis multae adsint methodi, quibus tales explorationes instituantur, ordo tamen anatomico-physiologicus, quia eum secutus minime in periculo est, ne unam corporis partem negligat, jure meritoque aptissimus habetur.

Itaque universalem et specialem explorationem in has quinque partes, qnae perspectu facillimae sunt, distributam in hoc capite accuratius tractare, non est alie-

num. Atque in prima parte contemplationem totius constitutionis et generalem juvenis investigandi conspectum, et in reliquis investigationem singulorum corporis organorum describam: — Nimirum in prima parte —

Plures quaestiones viro explorando generatim proponantur, quibus ingenium et loquela observentur; postea perscrutandus a fronte et a tergo generatim inspiciatur, qua ratione tota corporis architectura, constitutio et symmetria partium lateris dextri sinistrique observentur.

In secunda —

Conquisitio totius capitis et sensuum organorum specialis,

In tertia —

Totius trunci et ab anteriore et a posteriore, i. d. colli, pectoris, abdominis et genitalium,

In quarta —

Extremitatum superiorum,

Denique in quinta —

Extremitatum inferiorum instituenda est.

De quibus quinque partibus exponere mihi liceat.

Priusquam autem ad singulas partes progrediar, commemorem, haec praecepta, quorum explicatio in hoc loco mihi non aliena videtur, ad investigationem generatim esse referenda.

1. Quaeque perscrutatio nonnisi in loco amplo et lucido, solummodo interdiu clara solis luce, neque vero noctu candelis incensis, hiberno tempore autem in conclavi modice calefacto instituenda est.

2. Corpus plane nudum et omnibus fasciis et vincturis (si quidem sine ullo valetudinis detrimento fieri potest) remotis vacuum, in conclavis parte maxime lucida investigandum est, ita tamen, ut pudorem nullo

modo negligamus, quapropter hoc conclave adspectui aliorum, qui non ad officium pertinent, subtractum et clausum esse debet.

3. Porro singulis diebus non nimia juvenum copia inspicienda est, quippe quo negotio, quod nisi attentione maxima fieri non potest, quia accuratissimum et bene consideratum judicium illico requiritur, animus et attentio facile defatigantur; quare lex medicis Saxonicis militaribus praescribit, ne singulis diebus plures juvenes, quam centenos, investigent. Quem enim fugit, perscrutantes diebus aestatis longioribus calore, hiemis autem brevioribus inopia lucis admodum affici eosque impediri?

4. Ne inquirendus in statu ebrietatis sit; si vero est, perscrutatio differatur.

5. Porro perscrutandus passus aliquot a medico abesto, quo facilius ab anteriore et posteriore corporis facie et a lateribus inspiciatur, ejusque habitus inquiratur.

Qua in re necesse erit, vir transquillus adstet, toto corpore modice erecto, oculis ad medicum conversis, brachiis dependentibus, pedibusque ita positis, ut terram aequaliter contingant; utrumque genu, condylus utriusque pedis internus et hallucis utriusque margo internus accurate sibi respondeant.

6. Nonnulla instrumenta chirurgica et utensilia sunto in promtu ad varias corporis partes perscrutandas, e. g. nonnulla specilla diversa, forceps minima, spathula oris, — insuper etiam catheter et nonnullae diversae candelae ad urethram investigandam, siphunculus ad injectionem efficiendam, nonnulla perspicilla et vitris convexis et concavis instructa, nonnulli libri, utpote

nonnulla instrumenta, quibus accuratissime emetiamur e. c. variae mensurae e corio vel, ut Speyer prae ceteris laudat, e chorda paratae, catapirates minimus, circinus, insuper sella vel scamnum minus, lectus planissimus vel tabula non nimis alta — vasa aquae purae, sapo domesticus, spongiae (ad icterum simulatum e. g. statim detegendum etc.).

7. Medicus denique singulorum juvenum nomina aetatem locumque natalem accurate libro mandet et simul addat, quibus de causis juvenes ad militiam apti aut inepti sint.

1.

Perscrutatio universalis.

Nonnullae necessariae quaestiones viro examinando proponantur, quae referantur ad nomen, aetatem, patriam locumque natalem, sicuti ad negotia, ad morbos, qui antecesserint, vel adeo ad eorum dispositionem, porro ad valetudinem, qua hucusque usus sit, et qua parentes et consanguinei gaudeant vel gavisi sint, aut quibusnam morbis sint mortui, et sic porro, ut viri ingenium, mens, judicandi vis pariter atque loquela, auditus ipse etc. investigentur.

Qua in re simul, qualis sit totius corporis habitus, et qualem vir in vestibus exuendis se gerat, medicus tranquillo animo vultuque inspicere debet, qua ratione mala animi aperta, e. g. mens capta, vel amentia, utpote vitia loquelae et auditus, v. c. dysecoia et cophasis, sicuti aphonia, vox nasalis etc. statim cognosci possunt.

Medicus vero semper id agat, ut, quae homo quaestionibus fortasse ancipitibus de valetudine propositis, de morbis, quos praetexerit, respondeat, accurate memoriae mandet. Plurimi enim indicant, se morbis pec-

toris et artuum affectos esse, quae quidem indicia num vera an falsa sint, ut medicus accurate perspiciat, in perscrutatione instituenda maximam ingenii vim et sagacitatem cum experientia et multarum rerum usu conjungat. Prae omnibus ea corporis pars, quam juvenis morbo affectam esse queritur, accuratissime perquirenda est.

Tum demum ad explorationem universam progrediendum. Vitia vel morbi e. g. oculorum, pectoris, abdominis artuumque etc. patefacti, quibus juvenis a militia satis superque deliberetur, per se sufficiunt, etiamsi tota corporis constitutio optima et aptissima sit 1).

Quo facto medicus anteriores et posteriores partes omni tegumento liberatas perscrutetur, necesse est. Quare tota corporis constitutione ossium et musculorum habitu cutisque conditione inspecta, bicipites brachiales, antibrachia, femora et suras manibus amplectatur et contrectet, qua ratione robur et vim musculorum necessariam aptamque et fibrarum densitatem in universum animadvertere optime poterit. In hominibus enim debilioribus musculi brachiorum bicipites, gastrocnemii aliique inveniuntur soluti, laxi et infirmi.

Sed comparationem brevissimam inter architecturam et constitutionem robustiorem ac firmiorem et inter laxiorem ac debiliorem instituere, non superfluum esse opinor.

Cognoscitur autem

Constitutio firma	*Constitutio laxa*
Systemate ossium et mus-	Systemate ossium et mus-

1) Ruland, über den Einfluss der Staatsarzneikunde auf der Staatsverwaltung. pag. 195—199. Ueber die Constitution des Menschen u. die Zeichen einer kräftigen Const.

culorum firmiore generatim, ideoque musculis flexoribus et extensoribns praecipue extremitatum firmioribus, quos quodammodo sub cute agentes conspicimus:	culorum languidiore et debiliore; ossibus teneriori-bus et infirmioribus; musculis flaccioribus, magis solutis et laxioribus, quorum mediae partes, corpora, in contractione neutiquam firmae et durae attactu sunt:
Cute universa firmiore, rite elastica et pilis obtecta:	Cute laxiore, tenuiore; colore et calore anomala instructa, vix pilis praedita:
Capite nec majore, nec minore, erecto et capillis rite obtecto:	Capite non convenienter extenso, aut minore aut majore, capillis raris obtecto:
Facie non pallida, sed sanitatis speciem praebente et barbata; Fronte magis alta, oculis vigentibus, labiis rubicundis — gingiva firma, dentibus sanis certe non nimis cariosis:	Oculis inertibus sine fulgore, labiis magis pallidis et flaccis, gingiva pallidiore vel quasi scorbutica, dentibus in universum cariosis, halitu ex ore foetido, qui a morbis chronicis gastricis dependere videtur — voce leniore tenuiore magisque muliebri:
Animo hilari et tranquillo:	Animo aut excitatu aut depressu faciliore.
Thorace rite convexo et lato, scapulis musculis bene obtectis:	Thorace augustiore, magis plano, imo impresso, scapulis alarum et angulorum instar exstantibus.
Respiratione plena, mini-	Respiratione celeriore in

me sublimi neque celerrima; voce forti:	motibus corporis facillime magis excitata vel asthmatica, voce tenera ac molli:
Palpitatione cordis minus adaucta, neque pulsu arteriarum variabili:	Palpitatione cordis irritatu et excitatu facillima; pulsu arteriarum celeriore, debiliore, inaequali:
Abdomine non extensiore, vel potius graciliore:	Abdomine magis expanso, praecipue musculis abdominalibus laxis praedito et dispositione herniarum:
Genitalibus validioribus et alacrioribus:	Genitalibus invalidioribus:
Ingressu leviore, pedibus firmioribus, ita ut vir itinera sine difficultate sustinere queat.	Laxitate ligamentorum articularium, qua strepitus articulorum peculiaris, crepitatio saepius in movendo oritur; motibus musculorum tardioribus, quos brevi debilitas sequitur, ingressu leniore et tardiore.

Eodem tempore medicus proportionem amborum corporis laterum, quam symmetriam vocamus, accuratissime comparet, uno quasi obtutu, sed diligenti circumspectione perstringens a fronte humeros, brachia et manus, e corpore erecto dependentes, porro coxas, genua, condylos et pedes, utpote a tergo scapulas cum columna vertebrali, formam natium rotundam earumque plicam, denique trochanteres, poplites et calces.

Firmitate et habilitate juvenis ejusque valetudine in universum hoc perscrutandi modo et ordine examinata, medicus etiam morbos et vitia satis operta diligen-

ter respiciat, utpote observet constitutionem corporis debiliorem et aegram, praesertim debile et infirmum ossium et musculorum systema, quod anno aetatis vicesimo vel vicesimo primo elapso ad fortiorem et firmiorem formationem vix ac ne vix quidem exsurget.

2.

Compositio totius capitis et sensuum organorum specialis.

Quodsi medicus, perscrutatione generali instituta, nihil morbosi invenerit, ad explorationem specialem progressum a capite sensuumque originis incipere, potissimum juvabit.

Primum magnitudine capitis cum toto corpore comparata, ejus partes comatas manibus contrectet, structuram calvariae propriam, capillos quoque et integumenta totius cranii observabit, quia e forma capitis monstruosa, morbos mentis et nervorum hereditarios vel chronicos adesse, interdum concludere possumus.

Tum regionem frontalem contempletur et utrumque oculum et ambitum orbitalem, sicuti palpebras, cilia et supercilia, regionem sacci lacrymalis, pariter atque bulbum ipsum diligentissime perspiciat; porro oculos inter se comparet, maxime necesse est, ut colorem aliamque scleroticarum rationem, pupillas, irides, lentes crystallinas et profundiorem bulborum regionem, oculorum cameras, utpote utriusque iridis contractionem, cornearum convexitatem earumque rationem, quantum fieri potest, optime cognoscat. Neque minus medicus juvenem etiam quaerat, quae sit videndi ratio et facultas; qua in re comparationem ejus indicia inter et sta-

tum oculorum anomalum aptissime instituet, utriusque oculi fulgore, vultu reliquisque proprietatibus quam accuratissime observatis. Deinde medicus ad explorationem nasi externi et narium se convertat, simul reliquum faciei habitum observans; qua in contemplatione totius faciei juvabit, motus musculorum, colorem aliamque rationem et ipsam physiognomiam accurate respicere. Si quis, se morbis narium laborare, indicat, medicus neutiquam omittat, quin nares vel ope digiti oleo tincti, vel instrumenti chirurgici v. c. specilli elastici vel fistulae Bellocqii accurate inquirat. Praeterea diligenter expendat omnia, quae ad odorem e naribus foetidum, ad morbos internos diversos referri solent, quae perscrutatio generatim instituenda sit, ubi ejusmodi morbi interni praetexantur. Porro tota oris satis aperti cavitas cum labiis, dentibus, gingiva, palato duro et molli et cum superficie malarum interna inspicienda est, etiam linguae et faucium ratio.

Perscrutatio capitis exploratione utriusque auris externae et meatus auditorii finitur, ubi nonnullae quaestiones ad auditus facultatem observandam leni voce ac tenui proponendae et, si opus est, repetendae sunt. Tandem, tota capitis investigatione finita, diversos capitis motus ab adolescente fieri, jubeamus, quibus conjunctionem atlantis et epistrophei cum osse occipitis regularem et motum inquiramus.

In speciali capitis perscrutatione omnes deformitates ac morbi saepius obvenientes respiciantur, sicuti caput majus aut minus totius corporis habito respectu, praesertim monstruosum, vel adeo prominentiae aut impressiones praeternaturales, quae militari capitis tegumento ferendo obstant, quo etiam cicatrices cranii majores et profundiores a fracturis vel a laesionibus galeae aponeuroticae relictae referendae sunt.

3.

Consideratio totius trunci et anterioris et posterioris.

Prae ceteris collum inspiciendum est ejusque situs pro trunco et capite, tam in superficie anteriori, quam in laterali et posteriori. Hic vero observandae potissimum sunt glandulae jugulares et praecipue thyreoidea, deinde tracheae situs et majorum colli arteriarum et venarum conditio; quocirca medicus perscrutandum fortissime inspirare et tussire jubeat; porro regionem laryngis, glandularum sublingualium et submaxillarium accuratius perscrutetur, ubi vocem iterum animadvertat. Jam utriusque humeri partem superiorem, regionem clavicularum earumque curvaturam idoneam et situm digitis usus persequatur. Jam inquirens ad contemplationem thoracis ipsius progreditur, qua praecipue sternum ejusque processum xiphoideum, costas, utpote formam totius thoracis inspiciet. Prae ceteris deformitates pectoris maxime observandae sunt, habitum phthisicum prae se ferentis, qui collo longiore, corpore graciliore, sterno plano vel impresso, scapulis alatis exstantibus etc. declaratur. Etiam necesse erit, vir investigandus aliquoties fortissime, sed tardissime inspiret, unde animadvertemus, num respiratio costis exactissime sese elevantibus toto thorace facile et absque ullo impedimento fiat. Quarum elevatio si non ita comparata est, ut respirationem satis consideremus, praesertim ambobus brachiis in sublime erectis et supra caput extensis, quo facto propria thoracis forma dolii instar accuratius inspiciatur, illa profundius iterum iterumque instituenda est. Opinati, deformitatem costarum adesse, singulas etiam costas perscrutemur, quas contingendo pertractabimus. Structuram formamque sterni ipsius nullo modo in perscrutatione negligere pos-

sumus, quippe quod animadversu facile et apertum jaceat; qua in re simul cordis palpitatio respiciatur, quae quidem tempore investigationis semper acceleratior et auctior est, ita ut ictus cordis in regione ejus mucronis apud plurimos juvenes examinandos facillime conspici possit; attamen ictus cordis ipsius et arteriarum aequalis vel synchronicus est, quod quidem in hominibus vitio quodam cordis laborantibus secus animadvertemus, in talibus enim aegrotis palpitatio cordis maxime impar observatur.

Quo facto ad contemplationem totius abdominis nos convertimus, in qua musculos abdominales et abdomen ipsum, nimirum regiones ejus diversas, e. g. epigastricam cum scrobiculo cordis, umbilicalem et hypogastricam, utpote alias, indagemus et accuratius videamus, opus erit, num totum abdomen plenum et extensum, an, cristis ilei magis prominentibus, collapsum et relaxatum sit, num pulsatio in regione scrobiculi cordis et epigastrica animadvertatur, an tumores vel indurationes organorum permanentes in abdomine profundiore reperiantur, praesertim cum totum abdominis ambitum viri in lecto decumbentis pertractemus et accurate perscrutemur; praeterea quae sit concoctionis et alvi conditio, e viro quaerere, non est alienum.

Omnibus his diligenter observatis ad explorationem regionum inguinalium progredimur, quarum conditio prae ceteris accurate scrutanda est. Ideoque cum totam inguinum regionem, tum canales inguinales, annulos abdominales, arcusque crurales contrectando diligenter perspiciamus, necesse est. Quam ob rem cum funiculos spermaticos amplecti, tum juxta eos ab inferiore scroti parte ad annulos abdominales usque digitis adscendentibus explorare debemus.

Jam virum aliquoties fortiter tussire jubeat medicus, qua ratione, num intestina in regione inguinali et cru-

rali, an in aliis abdominis regionibus tumoris instar procedant, facili negotio observabit. In nonnullis etiam casibus detectu difficilioribus postulabit, ut vir manibus supra caput quam maxime extensis, iterum fortissime extussiat vel a scamno sive sella majori desiliat. Cum juvenes militiae electos hernias haud raro praetexere, notum sit, accuratiorem perscrutationem ad veritatem eruendam maxime necessariam esse, credo.

Denique etiam genitalia non praetermittenda sunt, ita ut testiculi et funiculi spermatici, utpote scroti et penis conditio videantur.

Inferiore abdominis parte investigata, ad perscrutationem trunci posterioris in lucem conversi transimus, ita ut ab occipite incipientes ad anum usque descendamus; totum occiput et regiones pone aures, nucham, aequalem situm utriusque scapulae, columnam vertebralem, regionem dorsi costalem, lumbalem et sacralem, porro rotundam natium forman earumque plicam accurate contemplabimur.

Omnes trunci motus cum laterales tum pronos virum perficere jubebimus, ut columnam vertebrarum totam accurate inquiramus, in qua quidem exploratione duobus digitis usi ad omnes deformitates detegendas lente descendimus, vel singulas vertebras, quarum forma, structura et conjunctio non congrua esse videtur, diligentissime pertractamus, vel ad veritatem explicandam viro stante catapirate minimo utimur; quod quidem interdum, etiam jacente viro, eo accuratius faciendum est, quo major subest suspicio, curvaturam columnae vertebralis anomalam adesse, v. c. humerum altiorem et gibberem.

In hac trunci positione prorsum inclinata ani orificium et perinaeum inspiciendum est. Quod attinet ad scapulas, silentio non praetermittam, quantopere opus sit, observare, num scapulae et processus vertebrarum

spinosi musculis ita obductae sint, ut ne manibus brachiisque dependentibus acutas eminentias in superficie corporis dorsali forment.

4.

Contemplatio extremitates superiores respiciens.

Quoad generalem extremarum corporis partium tam superiorum quam inferiorum explorationem, praesertim inspiciamus musculorum conditionem, ossium situm, magnitudinem et longitudinem, ambitum singulorum membrorum, utpote articulorum rationem eorumque movendi facultatem, opus est.

Qua re humeros, antibrachia et manus, sicuti singulos digitos, eorum articulos et ungues diligentissime comparando inquiremus tam accurate conjunctos, ut sibi invicem respondeant, ex qua comparatione situs digitorum conveniens, aut deformitates et ipse digiti unius defectus facillime cognosci potest. Tum demum utraque manus separatim, digitis omnibus plane expansis in superficie volari et dorsali inspicienda est; nunc pugnus faciendus et solvendus est, unde motus extensionis et contractionis articulorum omnium digitorum regularis aut eorum deformitates maxime elucebunt.

Denique fiant tentationes articulorum manuum, utriusque cubiti et in Flexione et in extensione, sicuti etiam in pronatione et supinatione utriusque antibrachii; pariter atque quicunque articuli utriusque humeri motus exerceantur, ut maxima quaeque arthrodia cognoscatur.

5.

Perscrutatio extremitatum corporis inferiorum.

Qualis perscrutatio superiorum erat extremitatum, talis est inferiorum, ita ut in superficie anteriore coxas, trochanteres, genua, condylos externos internosque et utriusque pedis dorsum ac digitos accuratissime inter se comparemus, num hae partes situ, forma aliaque conditione aequales sint et sibi congruae; utpote a regione sacrali ad superficiem posteriorem inspiciendam progrediamur, in qua nates earumque plicas, poplites calcesque observemus, num hae partes ubique aequales, in situ sibi respondeant; imprimis num planta utriusque pedis justo planior videnda sit, de qua deformitate jam satis multa dicta sunt, et quam postea paucis describam; qua in re cura tanto majori opus est, quo magis milites pedestres aliique hoc vitio impediuntur, quominus majora itinera sustineant.

Etiamsi superfluum videatur, in examinandis extremitatibus comparationem e. g. utriusque humeri, coxae, trochanteris, poplitis etc. repetere, quia eam in generali corporis conspectu fecimus, attamen non alienum est, eam iterum instituere, cum accidere possit, ut in diuturna multorum perscrutatione deformitates harum partium negligantur.

Insuper inspicienda est genuum structura, num speciem naturalem prae se ferant, an laxitate ligamentorum et curvatura irregulari laborent. Ne perscrutantes praetermittamus majorum utriusque hallucis prominentiam, qua pedes deformantur, sicuti largiores pedum sudores, utpote formationem digitorum anomalam, qua re e viro quaerendum est, num per longum tempus incedere et longiora itinera pedestria sustinere possit; ubi, quae

enarrans questus fuerit, cum iis, quae invenerimus, comparemus, oportet. Si contracturae aliaeque deformitates extremitatum inferiorum (sicuti superiorum) investigandae sunt, nihil praetermittamus, quin femora, crura (utpote humeros et antibrachia) diligentissime emetiamur, qua re ambitum, longitudinem situmque artuum in diversis corporis positionibus, praecipue in lecto planissimo, examinemus. Praeterea omnes extremitatum inferiorum motus, femoris, genu, sicuti pedis tam prorsum quam retrorsum instituendi sunt, ut medicus de gradu et facultate articulorum movendorum certiorem sese reddat; quapropter virum etiam paululum incedere opus est, unde medicus passus ac movendi corporis rationem observet.

Non superfluum esse mihi videtur, brevibus verbis discrimen 1) ponere inter varum, valgum, nimiam pedis planitiem, et pedem normaliter sed latius constructum. —

In malo, quem dicimus varum, planta pedis magis introrsum conversa est, ita ut ejusmodi aeger in margine pedis externo incedat, quod quidem haud raro obvenit.

In valgo conditiones adsunt contrariae: Planta pedis extrorsum convertitur, ita ut homo in margine pedis interiore ingredi coactus sit.

In nimia pedis planitie deformitas in eo cernitur, quod conjunctio cruris cum astragulo et hujus cum osse naviculari non est idonea et congrua, qua re condylus pedis internus magis prominet et profundior existit, quam in statu legitimo; infra condylum ejusdem pedis externum superficies calcis externa magis concava repe-

---

1) Pech, de talipedis vari et valgi causa. Dresdae. 1828.

r..ur; dorsum pedis autem convexa conditione caret et in ea regione, quae ossi naviculari respondet, latius est, quam pedis sani (cujus latitudo in regione ossium metatarsi incipit).

Quo malo laborans concava pedis superficie plantari omnino caret, quin etiam convexitate marginis pedis interni a condylo interno usque ad os metatarsi primum praeditus est; ideoque tota pedis planitie ingressus facillime defatigatur. Gradus ipse ejusmodi viri est vacillans, genibus introrsum conversis, quasi quis carrum trusatilem magna mole oneratum promoveat.

Pes quidem latior, sed ad normam naturae planus, firmissimus et ingrediendo aptissimus est.

Quodsi perscrutatio juvenis militiae conscripti ratione, qua explicuimus, finita est, quae a medicis peritis quanta celeritate, tanta diligentia et sagacitate instituitur, virum iterum respicientes perstringemus, priusquam judicium feramus, eaque, quae his quinque capitibus continentur, denuo mente ac cogitatione repetamus.

Multae mihi ac variae occasiones oblatae sunt, quibus ejusmodi perscrutationes militum per plures annos instituere licuit cum aliis medicis ducibus, tum Exper. Sahlfeldero, summo exercitus Saxonici medico; quo factum est, ut ipse medicus militaris perscrutationibus iterum iterumque repetitis hac in arte aliquantisper edoctus persuadere mihi audeam, me harum rerum usu et experientia non plane esse destitutum.

VII.

Pars specialis.

De simulatione morborum systematis nervosi.

Morbi systematis nervorum saepissime ab impostoribus ficti sunt, quia eorum symptomata maxime variant et cum phaenomenis, quae e systemate gastrico vel sanguifero dependent, rarius conjuncta sunt, porro quia plerumque singulis periodis apparere solent. Quamvis inter nevroses morbi, qui ad spasticos et ad morbos animi pertinent, saepissime simulati sunt, nonnulla tamen exempla docuerunt, statum etiam eclipticum fingi.

1.

De epilepsiae simulatione.

Morborum spasticorum sine dubio epilepsia est, quae saepissime et felicissime simulatur, ideoque detectu difficillima merito habetur.

Quamquam hic morbus singula phaenomena absterentia secum ferat, saepe tamen deceptores versutissimi in phaenomenis hujus morbi callide imitandis tam prope ad veritatem accedere possunt, ut difficillimum et

maxime arduum sit, veritatem fraude statim et cum omni persuasionis fide distinguere, praesertim cum leviores quoque hujus mali gradus jure meritoque statuantur, majores vero distinctioresque epilepsiae gradus, praecipue inveteratae, faciliores cognitu sunt. Exemplum ejusmodi notatu dignissimum de Haen refert: 1) »Scelestissima femina, 20 annorum, quae animi gratia vetulam truculenta manu occiderat, confessa est in carcere, horrendam epilepsiam, qua longo tempore laborasse credebatur, se impio animo finxisse; id quod etiam experimento confirmavit. Morbum enim simulare jussa, ita egit, ut quivis fere crederet, fictum morbum in verum demum abiisse, jussa medio in paroxysmo surgere et tranquille ambulare, surrexit, ambulavit.« Quod experimentum haec scelestissima coram senatu facultatis medicae audacter fecit, imo medicis tres foedas cicatricis ostendit, quas chirurgus veritatem exploraturus igne manui olim inusserat, sed frustra.

Ex hoc exemplo satis apparet, enudationem morborum simulatorum eo difficiliorem jure meritoque habendam esse, quo simulatores, remedia dolorosissima illudentes, animum obstinatiorem et pertinaciorem sustineant. Epilepsia vera hisce symptomatibus agnosci solet: Aegrotus, epilepsiae paroxysmo cruciatus, corruit imprudens et subita sensuum interceptione, torpidus stupidusque, dum artus corporis, maximis convulsionibus agitati, huc illuc projiciuntur et pollices saepe contrahuntur, spuma ex ore strepente. Quae symptomata supra commemorata cum ab hominibus astutis felicissime simulata sint, plures autores praecipiunt, ut non solum haec diligentissime observentur, sed etiam ad alia plura morbi phaenomena et ad ejus momenta aetio-

---

1) De Haen, ratio medendi. Pars quinta, caput IV. p. 134.

logica quam maxime attendatur. Viros igitur hoc morbo revera cruciatos accuratissime observari tam in paroxysmo ipso, quam in spatio libero s. intermittente, utpote exigua quaeque et levissima, quae ad morbum pertinent, maxime perspici, necesse est.

Inter paroxysmum praecipue haec diligentissime perscrutanda sunt: Num insultus epilepticus cum prodromis notis (aura epileptica, vertigine, cephalalgia etc.) incipiat, an statim repente et ex inopinato ingrediatur; porro num prodromi longiori tempore ante insultum exordiantur, an breviori tantum insultui antecedant.

Initium etiam prodromorum maxima diligentia animadvertendum est, sicuti respirationem, pulsum, cordis palpitationem, vultum et animi virium extinctionem diligenter perscrutari debemus; quod prodromorum stadium simulans plerumque vel plane non indicat, vel incertissime et baud perspicue definit, ita quidem, ut in afferendis diversis symptomatibus vel sensibus prodromorum sibi ipsi repugnet.

In insultu incipiente medicus praecipue observet, qualem simulans in cadendo se gerat; verus enim epilepticus saepe cum clamore obtuso prosternitur, mentis non compos, loci omnino imprudens, interdum maximum damnum sibi inferens, quin ullum dolorem sentiat. Pluries observavi aegrotos, in corpora firma et dura incidentes, vehementissime se laesisse sine ulla doloris indicatione; sic e. g. mulier dum vehementer se impegit ad marginem valvae fenestralis ferreum, palpebra superiore et inferiore occuli diffissa et lacerata, aliisque faciei laesionibus sibi contractis, nullum tamen dolorem animadvertit. Simulans autem caute et provide labitur, et ab omni graviori laesione non minus callide, quam timide cavet, itaque ea loca quaerit, ubi vehe-

mentius sese violare non possit; totus collapsus, si accuratissime inspicimus, tantummodo considendi ratio est, in qua fraudatores brachiis, coxis, lateribus saepissime collabi et vim casus quodammodo intercipere student, dum verus epilepticus, mentis non compos, plerumque cranium vel faciem ad corpora, quae prope adsunt, offendit et sensu strictiori gravissime prosternitur.

Cum his, quae hucusque nominavimus, incipientis paroxysmi symptomatibus status spastici maxime variae rationis clonicae et tonicae, nimirum convulsiones vehementissimae non solum in extremitatibus, sed etiam in toto corpore conjunguntur vel ea subsequuntur; quae quidem convulsiones tanta musculorum vi exercentur, ut quatuor vel sex viri fortiores et robustiores talem aegrotum fortiter tenere et in locis periculosis a laesionibus gravioribus tueri vix valeant. At virum constitutione imbecilliore praeditum ideoque extra paroxysmum infirmum, in convulsionibus vehementisismis a laesionibus gravioribus rite tuerentur, custodibus aegrotorum fortibus sex vel octo opus fuisse, saepius observavi.

Interdum vero convulsiones epilepticae cum aliis phaenomenis epilepsiae genuinae minime propriis conjunctae sunt, e. c. cum phaenomenis hysteriae, catalepsis etc., quae quidem difficillimae detectu sunt. Sic Krügelstein enarrat, tironem epilepsia, timore exorta, laborasse, quae ab initio simulata, postea autem vera habita esset, eumque, ubi insultus inciderit, tremore artuum, oculis defixis, urina involuntarie defluente, in statu quasi soporoso circiter quinque minuta immobilem constitisse, tum demum subito, clamore ejecto, prostatum, quo facto paroxysmum epilepticum finitum esse. Simulantium autem convulsiones affectatis artuum distortionibus similes, brevi tempore minuuntur, vires

etiam arteficiose coactae et supra modum adauctae, hanc ob rem facillime remittentes, cum reliquis insultus symptomatibus minime consentiunt; porro simulatores oculis fortissime sese pervertentibus, rubicundis et trucibus atque spastica ac celerrima palpebrarum nictatione carent.

Pupillas deceptorum inquietas, normales, neque supra modum dilatatos, sed sensibiles contra lucem aliaque irritamenta observamus; irides contra, talibus irritamentis accedentibus, facillime contrahuntur, quae res in epilepsia vera secus se habet; impostores, quamquam in ficto insultu congestionibus faciei et capitis, ideoque facie rubra et fronte sudore obtecta affecti sint, facie tamen rubicunda quasi coerulea, venis jugularibus vehementissime intumitis, auribus labiisque quasi coeruleis carent.

In insultu ipso sensus cum conscientia in universum tolluntur, ita ut vel fortiora irritamenta externa ad cutem, ad membranam nasi pituitariam vel ad ipsam oculorum conjunctivam sternutatoriis aliisque irritantibus, ad auditum quoque vehementi sono admota sine ullo effectu sint.

Quo facto, simulans consilium suum interdum facile prodet, imprimis cum terrore repentino incusso auditum vehementer incitare studemus. Aeque medicamina sternutatoria et irritationes membranae pituitariae sive Schneiderianae et faucium titillatio pennae apice ad fraudem detegendam apta et idonea sunt. Tentatione, apertis palpebris, aliquid injiciendi facta, bulbus in vera epilepsia aut rigidus permanet, aut sub pariete orbitae superiore distorquetur; sed in simulata oculi sensibiles et pavidi apparent, praesertim cum medicus tentamina facit, quasi bulbum acumine quodam, e. g. chartula longiore et contorta pungat, vel guttulam spi-

ritus vini bulbo instillet, vel nonnullos pulveris sternutatorii particulas inspergat.

Non omnes epileptici spumam ante os habent, quae, ubi reperitur, mera est saliva; spuma autem simulatorum plerumque sapone producta, etiam saponacea ratione et specie differt, quam observationem jam Praeus 1) fecit; alii medici dixerunt, deceptores etiam bolo usos esse ad spumam oris efficiendam; quo nihil facilius detectu est. Simulantes linguam rarissime violant, probe caventes, ne eam mordeant, quod in veris epilepticis observandi mihi saepe occasio oblata est; quam obrem lingua praecipue inspicienda, quae in epilepticis quasi praerasa videatur.

Porro veri epileptici singularem irritabilitatem in faciei musculis prae se ferunt, quibus celerrime contractis, vultum alienum, risum quoque Sardonicum et alios motus convulsivos efficiunt.

Imo extra insultum in talibus aegrotis facies oedematosa, palpebrae tumidae, sacci instar dependentes, et margines coerulei circa oculos, profundius in orbitali cavitate jacentes et saepe quasi rigentes, observantur, utpote venae jugulares majores videntur.

Quamquam intentiones totius corporis in vera epilepsia vehementissimae sunt, tamen pulsum fere omni tempore parvum, spasmodicum, inaequalem, suppressum et intermittentem, in simulatione contra magnum, frequentem, celerem et plenum aeque ac validum sentimus.

Formey 2) explicat, e pulsu esse cognoscendum, num epilepsia vera, an simulata sit. In universum fa-

---

1) Paraei opera chirurgica. Libr. XXIV — Cpt. XVIII. — Technae epileptic. simulant.

2) Henke, Zeitschrift für Staatsarzneikunde. Bd. 7. p. 223.

teamur, accuratissimam pulsus, palpitationis cordis pariter atque respirationis perscrutationem ad diagnosin plurimorum morborum internorum confirmandam, ideoque prae ceteris ad simulationem detegendam, maxime esse necessariam; quae signa gravissima examinabimus, num et inter se et cum aliis morbi phaenomenis consentiant, nec ne. Quod attinet ad respirationem, in insultu vero semper brevis et frequens, interdum etiam stertorosa et rhonchosa observatur.

Mann suadet, ut investigemus, num musculi abdominales sint contracti, num scrotum ad annulum usque abdominalem retractum et num membrum virile sit erectum. Denique in insultu, praesertim graviore, haud raro animadvertimus, alvi excrementa, urinam et semen ipsum involuntarie ejici. Veruntamen, his symptomatibus deficientibus, insultum neutiquam simulatum habeamus.

In diagnosi non minoris est momenti, exitum insultus epileptici, i. e. tempus, quo aeger ad se redit, accuratissime observare.

Genuinus insultus aut cum somno soporoso, interdum per plures horas durante, aut sine eo finitur.

Somno deficiente convulsionibus et spasmis tonicis illico finitis et conscientia sensim paulatimque redeunte, proprium vultum et physiognomiam aegroti conspicimus; qui, mentis adhuc expers, oculis apertis defixis et rigentibus, levioribus faciei convulsionibus perdurantibus, fatuo non dissimilis, circumspicit et stupet. Tandem mens ipsa sensim regreditur, vultus rationem normalem et consentaneam pedetentim quoque recipit, denique ratio loquelae consueta eodem modo revertitur. Simulatores autem e paroxysmo ficto illico excitantur et statim naturalem mentis rationem, imo vividam, sere-

nam et hilarem prae se ferunt, sicut vultum epilepticorum antea descriptum, aut somnum soporis instar gravissimum tam feliciter vix ac ne vix quidem imitari possunt, ut medicum peritum omnino decipere valeant.

Itaque medicus plures ejusmodi aegrotos et diversos hujus mali gradus viderit et accuratissime observaverit, prae ceteris necesse est, quoniam contemplatio paucorum aegrotorum minime fufficit, ut omnia phaenomena animadversu digna diligenter cognoscat et disquirat.

Praetera in suspicione fraudis maxime opus est, medicus virum talem extra paroxysmum accuratissime observet et ita examinet, ut ejus cultum, ingenium mentemque, sicuti temperamentum, totam viri constitutionem et dispositionem ad morbos nervosos generatim, fortasse hereditariam, vel adeo formationem capitis ipsius propriam, etiam morbos antecedentes, diversasque conditiones hujus morbi aetiologicas, utpote evacuationes suppressas, et singulas aetatis periodos pariter atque animi affectus et pathemata etc. diligentissime investiget et cognoscat, quibus rebus veritas occulta serius ocius feliciter reveletur. Itaque medicus, quantum valebit, intente studeat, simulatorem quaestionibus ancipitibus de totius morbi statu ac cursu apte capere; porro urinam paulo post paroxysmum emissam inspiciat, num normalis, an justo pallidior et spastica sit; neque minus formam et conditionem dentium incisivorum praecipue maxillae inferioris inquirat, num coronae, quasi cote politae, magnopere planatae sint, quod saepius in epilepsia inveterata obvenit.

Dumas [1]) observase dicitur, formam capitis, prae-

---

1) Dictionnaire des sciences medic. Tom. 51. pag. 334. Dumas doctrine generale des maladies chron.

sertim frontis, aegrotorum epilepsia vera laborantium, irregularem esse, et angulum faciei nunquam ad gradum octogesimum adscendere. At haec formatio capitis peculiaris non, nisi in epilepsia hereditaria vel in ea, quae ab aetate infantili locum habuit, reperiri solet.

Animi conditionem viri examinandi tranquillitate et mentis acie, minime vero minarum vi et severitate perscrutari studeamus. Epileptici enim vultum animadvertentes saepius cognoscimus, faciei musculos irritabilitate quadam affectos et motibus convulsivis opportunos esse, formam faciei specialem, praecipue eorum, qui diuturna epilepsia laborant, amentium habitui prope accedere, aegros palpebris oedematose tumidis et oculis debilibus sed torvis praeditos esse, denique horum revera infelicium vultui tristitiam et moerorem profundum paene semper infixum esse.

Itaque pudore cruciati vix nomina epilepsiae, morbique caduci etc. dicunt, et rarissime de morbo loquuntur, quem mitioribus verbis usi, solummodo impetum et casum nominant. Quae quidem omnia apud simulatores neutiquam observamus; non ignari, se morbo tam terribili non laborare, peculiari tristitia vultui impressa carent, quidquod paroxysmos jactantes, hilari animo sunt, et saepius de iis ceu rebus minimi momenti loquuntur.

Simulatores igitur labendo, trunco et extremitatibus ineptissime distorquendis, pollicibus contrahendis, spuma ex ore ejicienda, dentium stridore et frendore, oculis magnopere pervertendis, mordendo et manibus circumferendis, porro spiritu per longum tempus retinendo et quasi intermittendo, ideoque toto abdomine inflando et tumefaciendo insultum epilepsiae significandum esse credunt. Sed medicus prudens ad ejusmodi ineptam fraudulentiam neutiquam descendit, sed totam

morbi originem et decursum tam in singulis paroxysmis, quam in universo morbo diligentissime perscrutatur et vim hujus morbi ad vires totius corporis et mentis, sicuti rationem systematis nervosi sanguineique ante impetum, inter eum et postea accuratissime observat.

Etiamsi versutissimi fraudatores reperiantur, qui insultus epilepticos simillima ratione imitari sciant, (ut exemplum mulieris ab de Haen observatae supra retuli) multi poenas bene meritas non effugient, excitationibus diu continuatis ejusmodi animi et totius systematis nervorum agitationibus foedis et horrendis tandem eo adducti, ut verum insultum sibi concilient; quale exemplum Metzger [1]) refert, mulierem in simulationis arte eo esse progressam, ut insultus ab initio simulati postea in veros abirent.

Porro variis quaestionibus de aetiologia insultus singularis et morbi universi veritatem melius et facilius deprehendere valebimus, quam rudi severitate; denique indagandum est, num morbus forte hereditarius sit, nec ne; neque minoris est momenti, perpendere, quam diu impetus singuli perdurent; impetus enim verus spatio circiter minutorum decem ad viginti continetur, quem omnia phaenomena supra commemorata, ut somnus soporosus, vel lassitudo totius corporis maxima, dolores artuum nervosi et animi hebetudo etc. sequuntur et aliquantum temporis remanent. Suspicio autem simulationis magis augetur, si insultus medicis tantum, vel custodibus aegrotorum aliisque hominibus praesentibus oriuntur; quam ob rem, qui deceptor videtur, a ceteris aegris separatus, in conclavi peculiari clandestino ob-

---

1) Ejusd. neue gerichtl. medicinische Beobachtungen. — Bd. 1. Nro. 1.

servandus est. Sic de Haen [1]) impostorem facile enudavit: Adolescens nimirum astutus toto abdomine mirifice convellebatur, tumque vehementer singultiebat, quae convulsio postea dormientem cruciabat. De Haen fucum suspicatus, privato eum cubiculo inclusit, ubi se solum credens, medicis eum per rimam contemplantibus, tranquille sedebat, intrantibus autem in convulsiones singultusque prorumpebat, medicis iterum egressis, iterum sedatus.

Suspicione habita, non superfluum esse videtur, nonnullas tentationes facere, num oculi contra irritamenta leviora quasi insensibiles sint, praesertim cum simulans, visurus, num adhuc observetur, oculos saepius paulisper connivet; qua re guttulam spiritus vini vel olei terebinthinae, vel pauca granula piperis vel pulveris sternutatorii ad conjunctivam bulbi membranam inspergamus, accurate observantes, qualem simulator se gerat. Praeterea medicus recordetur, insultuum epilepticorum typos diei et lunae variationibus interdum obsequi solere, quam rem fraudatores rarius attendunt, qui horologium ipsum respiciunt et paene eadem hora prosternuntur. Ut exemplo utar: Fraenzel, medicus militaris Saxonicus superior, simulatori, qui horis definitis insultum epilepticum imitabatur, minorem opii dosin clam praebuit, quo facto miles totum insultus tempus dormiendo perdidit, quamquam antea insultus singulis horis constitutis excitabantur.

Schmetzer aliud exemplum refert, tironem epilepsiam simulantem a medico franco-gallico hoc modo enudatum esse, quod medicus ei dixerit, insultus verae epilepsiae non nisi horis matutinis ingredi, simulatae autem solummodo vespertinis. Quod tiro etiam respiciebat, ita ut in omnes insultus proxime sequentes mane incideret, unde fraus aperta erat.

---

1) De Haen, rat. medend. Libr. V. Cap. IV. pag. 132.

Medicus, simulatione suspecta, interdum fraudatoribus persuadeat, verae epilepsiae quaedam propria symptomata subesse, observaturus, num simulator haec antea enarrata in proximo insultu imitetur. Sic Krügelsteinio teste: Cum puer quidam rusticus insultum epilepticum simularet, chirurgus hominibus, qui aderant, dixisse fertur, aegrum in insultu vero sine dubio, facie humi affixa, gramina mordere; quo dolo fraus statim detecta est, quoniam puer iste expermentum illico fecit. Aequali modo Sauvages (Meissner, Encyclopädie der medicinischen Wissenschaften. 2 Bd. 248. Leipzig. — Sauvages, Nasologia methodica) epilepsiam simulatam enudavit, ex aegrota quaerens, num in aura epileptica sensum corporis peculiarem animadvertat, quasi ventulus lenior a manu ad humerum usque ascendens in dorso et femore descendat; quibus omnibus affirmatis Sauvages jure meritoque conclusit, simulatricem esse, quae paulo post castigatione confideri coacta est. Eadem ratione medicus quidam (Caspers, Wochenschrift für die gesammte Heilkunde 1834. No. 13. Berlin, S. 202.) fraudem statim enudavit: Nimirum puer octo annorum epilepsiam simulans, eo, quo medicus intrabat, momento oculis conniventibus eum adspexit, unde simulationem jure meritoque subesse concludens isti acclamavit: Impetus statim desinet! qnem puer illico finivit.

Suspicione maxime aperta, poenas, quod imprimis in ergastulis fieri solet, minari debemus, quibus impostores afficiendi sunt, ut confiteantur.

Exempla, quae sequuntur, ostendent, epilepsiae simulationem et minis diversis praesertim castigationum et alia ratione esse patefactam.

Quum tiro quidem (Dictionn. des scienc. medical. Tom. 51. pag. 337.) epilepsiae phaenomena vehementissima cum clamore maximo in nosocomio finxisset, me-

dicus fraudem suspicatus, voce forti aliis medicis praesentibus acclamavit: Scitis, medicum celeberrimum dixisse, eunuchos nunquam epilepsia laborasse; quare huic epileptico testiculum exsecemus; cito! apportate apparatum chirurgicum — quo factum est, ut tiro, insultum illico oblitus, de lecto exsiliret.

Aliud impostoris exemplum Schmetzer porrigit statim coarguti, cum medicus dixisset, paroxysmo cruciatos ferro candente urendos esse; etenim deceptor, his verbis excitatus, cum faber ferrarius advenisset ejusque braccas apertas detraxisset, obsecrans confessus est.

De Haen (pag. 131.) fraudem puellae, quae, ne a matre cogeretur, munus ancillae obire, primo auditum gravem, postea epilepsiam finxerat, plane detexit, baculo minatus.

Idem medicus (pag. 137.) simulationem epilepsiae et obsessionis daemonicae aperuit, jubendo, custodem integram aquae amphoram unico ictu in faciem et pectus simulatoris profundere, ita quidem, ut, nisi prima profusione insultus cessaret, custos plures amphoras, in acie jam collocatas effunderent. Quod remedium pluries contra epilepsiam simulatam ipse in nosocomio adhibui et nonnullos impostores enudavi, dicens, epilepticis hoc optime convenire. Alterum ejusmodi simulatorem hoc modo coegi, quod, suspicione maxime habita, morbum indicatum, quem omnino contemnere videbar, accuratius observabam; quare effeci, ut deceptor diuturnae observationis taedio excitatus, tandem diceret, se quamvis hoc malo nondum liberatum, ad dimissionis tempus usque inter milites versaturum esse. Egomet ipse hunc militem per annum continuum vidi, quin animadverterem, eum insultu epileptico laborasse; miles adhuc optime valet, bene se gerit et omnia negotia praestat.

Alias in epilepsiae simulatione irrimentamentis quoque lenioribus ad verum deprehendendum utimur, medicaminibus graveolentibus, liquore salis ammoniaci caustico, injectionibus ex aceto per nares, remediis rubefacientibus fortioribus, titillatione narium pennae apice, aliisque rebus similibus facta, sternutatoriis, quae jam Zacchias prae ceteris laudavit, porro titillatu plantarum utriusque pedis, aspersione faciei repentina et improvisa ex aqua frigida etc.

In insultibus epilepsiae gravius simulatis praesertim impostorum versutissimorum, suspicione maxime adaucta, alia etiam experimenta ad veritatem detegendam, etiamsi dolores efficerent, 1) — neutiquam vero periculosa et crudelia adhibere debemus; sic uti licet inter insultum ipsum acubus vel manuum unguibus, quibus simulatorem leniter pungamus et vellicemus; vel nummo majore fervido, quem in manus volam ingeramus vel urticatione brachiorum et femorum, vel terrore, quem et fragore injiciamus vehementissimo, et docciis frigidis, et vaporibus fervidissimis cuti admotis.

Marschall simulatores interdum hac ratione enudavit, dum segmentum panni lanei tenioris, in aquam ebullientem immersum, tanquam remedium rubefaciens lateribus impostoris imposuit, quo facto impetus ficti celerrime finiti sunt.

Ejusmodi exempla medici forenses et militares haud raro observarunt.

Simulator diligentissime in nosocomio observatus, et a ceteris aegrotis plane separatus, vel etiam inclusus

---

1) Ruland's Entwurf der Staatsarzneikunde. — §. 290. Ueber die Anwendung schmerzhafter Mittel in simulirten Krankheiten.

brevi tempore languefiet et confitebitur, praesertim cum in opinionem inducitur, se a medicis omnino non respici, nec querelas suas mendaces magnopere audiri.

2.

Convulsiones generatim interdum, quamvis raro ab impostoribus simulatae sunt. Sed observatio habitus totius corporis et faciei accurata, utpote temperaturae corporis, praesertim manuum pedumque, perscrutatio palpitationis cordis et pulsuum in universum, urinae brevi ante vel paulo post impetum emissae, lassitudinis corporis relictae, pariter atque investigatio morborum antecedentium aliarumque causarum in universum brevi in lucem proferent, quid verum, quid falsum sit.

Alii nervorum morbi simulati eadem, qua epilepsia, ratione examinantur, qui rarissime tam feliciter tantaque veritatis specie simulari possint, ut fraus accuratiore exploratione non detegatur; minus enim difficile est atque arduum, statum simulationis cognoscere, quam deceptorem certissime facinoris coarguere.

Huc pertinent v. c. tremor artuum, paralysis, catalepsis, animi deliquium aliique, quamvis hoc rarius feliciter fingitur, quippe cujus phaenomena revera simulatu difficillima sint. Nihilo tamen secius ejusmodi quoque simulationes occurrerunt.

3.

In catalepsi simulata

prae ceteris respiciendum est, qua ratione et quomodo deceptor rigorem artuum indicatum fingat; symp-

tomata enim tetanica in vera catalepsi non adsunt, a simulatoribus tamen fingi solent, ita ut jam inde, quae sit simulatio, eluceat. Vera catalepsis in singulis etiam paroxysmis apparet, in quibus truncus ipse rigidus et omnium motuum expers est. Simulatores autem musculos extremitatum vix movent, utpote extremitates ipsas immotas tenent. Medicus vero perscrutans bene scit, extremitates in vera catalepsi cerae instar flexibiles esse, et eundem situm, quem extrinsecus acceperunt, retinere. Plerumque sub finem paroxysmi cataleptici lingua rigida, firma et quasi paralytica cernitur; quae symptomata, nescio, an ullus impostor ad veritatis similitudinem imitari valeat.

Inter ipsum paroxsymum bene respicienda est conscientia sublata; defectus enim conscientiae et sensuum, ideoque motus artuum voluntarii sine ullo statu soporoso symptomata verae catalepsis pathognomonica habentur.
Neque minus observandum est, quam diu paroxysmus duret, pariter qualis sit exitus ejus mali systematis nervorum profundioris, cujus paroxysmus symptoma tantum existimandus est.

Simulator in his affectionibus, ut Krügelstein exemplum catalepseos simulatae ab Joanne Hunter observatum edit, brevi tempore, pluribus experimentis hac ratione factis, ut pondera extremitatibus ejus impenderentur, sesemet ipsum talem enudabit, cum fraus tremore extremitatum et vi voluntatis conspicua in dubium vocari amplius nequeat. Aliud exemplum Schmetzer refert, ubi miles paroxysmos catalepsi similes finxisse dicitur: Totum ejus corpus inflexibile erat, oculi observabantur humum conversi, genua rigida et quasi immobilia, insuper insultus et ructus apparuerunt, vel adeo cordis motus et arteriarum pulsus sentiri fere non potuerunt, ita ut nemo dubitaret, quin morbus vehementissimus et terribilis adesset; medici autem, fraudem

suspicantes, castigationibus fortissimis illico applicandis comminabantur; quo facto simulator fraudem ipse confessus est et impetum coram pluribus hominibus repetiit.

. 4.

Simulatio animi deliquii

difficilior fictu est impostoribus. Medicus autem e phaenomenis hujus morbi solitis, e. g. e conscientia sublata, e facie pallida et frigida extremarum partium ratione semper veritatem cognitam certissime dijudicare nequit, quia homines versuti haec symptomata feliciter imitari possunt variis rebus adhibitis, nimirum, ut Formey explicuit, emeticorum eorumque medicaminum usu, quae nauseam, valetudinem adversam in universum, aliaque phaenomena excitare solent; vel, ut autores antiquiores dixerunt, vaporibus sulphureis, suffumigationibus e cari carvi seminibus, sicuti e cepis allioque in intestinum rectum illatis, aliisque rebus.

Medicus vero statum acutissime perscrutans non solum his, quae enumeravi, phaenomenis fallacissimis, sed omnibus etiam signis diagnosticis ad veritatem cognoscendam confidet, nempe conscientiae sublatae, viribus sensuum suppressis et musculorum motibus omnino impeditis, respirationi tenuissimae, pulsui parvo ac imbecilli vix attingendo, et arteriae radialis et temporalis, imo carotidis, porro ictui cordis aegerrime animadvertendo, faciei pallidae ac collapsae, quasi hippocraticae, labiis oris frigidioribus et pallidis, naso acuto ac frigido, unguibus pallidis vel sublividis, denique universali corporis constitutioni, et paroxysmo finito illi singulari animi tristitiae ac depressioni ad lacrymas proclivi, utpote ef-

fectui medicaminum praecipue externe adhibitorum et vehementer incitantium prae ceteris sternumentorum; quibus rebus omnibus diligenter observatis et inter se comparatis medicus certiorem se reddere poterit. Praeterea maxima et in simulatorem ipsum et in res atque homines eum circumdantes vigilia opus est, tam inter paroxysmum, quam post eum. Neque minoris est momenti, omnes vestes angustiores et comprimentes celeriter detrahi et axillarum regiones diligentissime perquiri, num his in partibus compressoria ad magna humeri vasa et nervos adhibita sint.

Maxime in physiologia et in psychologia memoratu digna sunt et semper erunt plura exempla arteriarum et ipsius cordis ictus voluntarie retardati, quae Krügelstein aliique praeclare enarraverunt.

Sic Anglus quidam, Hallero [1]) auctore, palpitationem cordis omni tempore, quoties vellet, impedire et subsistere potuit, tandem vero inter hoc experimentum palpitatio revera quievit, et mors secuta est.

Italus quidam [2]) asphyxiam mortemque ipsam finxit tam prope ad veritatis speciem accedens, ut per aliquantum tempus vere mortuus haberetur, vel adeo multae muscae corpori simulatoris considerent et experimenta crudelissima ad eum in vitam revocandum frustra adhiberentur. Sed simulator iste, cum explorator emissarius esset, paulo post fugam capessivit.

Porro Krügelstein duo ejusmodi exempla refert, in quibus dicit: Ft clericum et tribunum militarem Ang-

---

1) Haller, methodus studii medici. Tom. I. et Krügelstein l. c. p. 32.
2) Frank's medicinische Polizei. 4. Thl. 610. Anmerkg.

licum, utrumque, quoties vellet, asphyxiam simulare potuisse.

Celeberrimus auctor Peter Frank miracula Gassneri accuratius commemorat, dicens: Gassnerum, jussu aliorum hominum, nomine Jesu arteriarum ictum in utraque manu, quoties voluerint, plane ita supprimere potuisse, ut per aliquod tempus ictus cessarint. Eodem loco suppeditat aliud ejusmodi exemplum, quod ipse observaverat: Amicum quendam exemplo Gassneri omnino imitatum esse, cum compressorii in fovea axillari sub tunica latentis ope arterias axillares ita comprimere valuerit, ut Frankium ipsum falleret; idem Zimmermann, alius e Frankii amicis, facili negotio perfecit. Si plures ejusmodi thaumaturgi invenirentur, qui arteriarum pulsum cordisque ictum pariter atque respirationem et facultatem sentiendi tam feliciter supprimere valerent, ut asphyxia et mors ipsa esse videretur, exploratio pulsuum accuratissima sola ad fraudem detegendam, ut Formey exposuit, nullo modo sufficeret; rarissime autem tales impostores obvenient, quorum universalis perscrutatio in nosocomio brevi veritatem in lucem proferet.

Praeterea ejusmodi exempla plures autores alia retulerunt, quae vero, ne sim longus, neque ab incepto mihi proposito deducar, silentio praetermitto.

5.

Tremor artuum simulatus

vel singulorum artuum, vel totius corporis interdum fictus est. Status autem verus inde elucet, num dormiens quoque eo, quamquam in minimo gradu laboret. Porro est majoris momenti, inquirere, quae sit universalis musculorum conditio, qua ratione corpus, sicuti

artus ipse tremens alatur, denique quam diu malum permanserit.

Nam tremor continuus simulatorem brevi tempore defatigabit. Tremorem membri cujusdam simulatum, qui tantummodo laborem et contentionem sequitur, a vero hocce malo dignoscere, difficilius esse videtur.

Hucusque status militis cujusdam non plane mihi elucet, qui, radio antibrachii fracto, accuratissime, pluribus hebdomadibus elapsis, sanatus, vincturis ablatis, perpetuum pollicis laesae manus motum trementem et quasi convulsivum retinebat, quem statum vel nocte inter somni tempus immutatum eundem mansisse, custodes fide digni enarrabant. Egomet ipse, qui aegrum solummodo semel vidi, hos motus convulsivos pollicis trementes tam claros, celeres et continuos conspexi, ut mihi persuasum fuerit, simulationem plane nullam subesse, quamvis non intelligam, quo factum sit, ut ejusmodi tremor pollicis, radio optime sanato, inde oriretur; postea virum non vidi, ideoque me latet, an hic tremoris status per longum tempus duraverit.

De remediis ad revelandam veritatem commode adhibendis observatio ejusmodi simulatoris accurata et clandestina per custodes fide dignos optima et praestantissima est.

6.

Paralyses

singulorum membrorum haud raro simulantur, quae et e laesione vel e vi illata et e statu apoplectico exortae esse praetexuntur. Itaque, quae antecesserunt, quantum fieri potest, accuratissime examinanda pariter atque cum speciali partis laborantis exploratione comparanda sunt,

quod attinet ad musculorum ossiumque conditionem, ad partis ipsius nutritionem, sicuti ad cutis ejusque temperaturae rationem.

Sed, periculis irritamentorum externorum factis, v. g. vesicantium, setacei vel ipsius ictus electrici, utpote moxae cauteriique, veritas brevi tempore cognoscetur.

Negari non potest, plurimos simulatores jam minis cauterii applicandi solis vel applicatione ipsa ad fraudem enudandam illico paratos fuisse.

Ubi membrum morbo indicato laborans frigidius altero ac tabescentius et debilius reperitur, arteriarum pulsu parvo debilique observato in oedematosa cutis conditione, quin ulla causa mechanica, e. g ligatura et vinctura hujus corporis partis vel supra articulum, proxime situm, pariter atque usus totius membri diu interruptus inveniatur, de veritate non est, quod dubites. Quae si minus certa sunt atque expedita, alterum sanum membrum corpori alligari debet, et experimenta e. c. titillando, facienda sunt, quibus appareat, num dormiens hoc membrum alias paralysi affectum, dicta ratione irritatus, moveat, nec ne etc.

Hutchinson [1]) hac ratione paralysin enudavit, dum, opio antea adhibito, simulatoris dormientis nares et aures titillabat, quo facto hic brachio paralysi affecto nares perfricare studebat. — Exemplum memoratu dignum Helbig refert: — Miles hemiplegia dextra affectus fuisse et in nosocomio paralysi totius corporis dextri aborasse dicitur, quapropter partes corporis extremae interdiu noctuque perpetuo tremebant. Omnis quaeque sentiendi et artus movendi facultas sublata erat, imo facultas videndi, olfaciendi et sapiendi nonnisi latere sen-

---

1) Isfordink, milit. Gesundheits-Polizei. P. 43.

suum organorum dextro exerceri potuit. Medici omnibus contra hunc morbum aptissimis remediis in nosocomio usi sunt, ita ut tandem putarent, simulationem ne minimam quidem esse statuendam. Helbig autem, medicorum unus, manum paralyticam acu pungens et carbonem candentem volae manus inserens, observavit, aegrum, quin minimum verbum edidisset, dentibus clam lenissime frenduisse et faciei musculos convulsive movisse; qua observatione ceteri medici ad maximam suspicionem adducti, omnia remedia diu adhibuerunt, quibus malum tollerent aut fraudem detegerent, ut nonnulla commemorem, sinapismos acriores, vesicantia, corticem mezerei, urticationem — nauseam famemque — ab initio etiam leniorem tractationem; cum autem postea dimidia anni parte elapsa, suspicione etiam magis adaucta, tractatio severior esset, simulator, qui integram fere immobilitatem totius corporis dextri finxerant, ita ut semper portandus et pascendus esset, tandem custodibus deceptis e nosocomio effugit.

Alius impostoris, paralysin brachii dextri simulantis, fraudem Helbig statim detexit, minatus, se proximo die ferrum candens contra paralysin applicaturum; quo dicto iste sponte sua fraudem illico confessus est.

Krügelstein [1]), Henke, Marschall aliique nonnulla talia exempla retulerunt.

Mende [2]) enarrat, se paralysin utriusque brachii a muliere simulatam observasse, fraudemque hac ratione detexisse: Nutrimenta per plures dies ita ponebantur, ut mulier ea minime attingere posset, nisi brachia quasi

---

1) Krügelstein, promptuarium medic. forens. III. 121.
2) Ejusd. ausführliches Handbuch der gerichtlichen Medizin, mit einer Vorrede von Kühn. 6r Theil. Pag. 71.

paralytica attolleret; per tres dies omnia nutrimenta huic proposita intacta fuerunt; sed cum medicus scutellam infuso coffeae arabicae recentiori, quod maxime amabat, impletam posuisset, mulier cupiditatem infusi bibendi neutiquam coercere potuit. Eodem loco Mende commendat ad fraudem aptissime detegendam, ut ejusmodi cupiditatum irritamenta et illecebrae, e. g. spiritus frumenti, tabacum aliaque adhibeantur.

7.

Apoplexiae simulatae

suspicione orta, singula phaenomena pathognomonica tam apoplexiae sanguineae, quam nervosae propria examinanda sunt, quo facto medicus, causis morbi ipsius et constitutione habituque generali indagatis, sententiam accuratam ferre poterit. Praeterea per se patet, paroxysmis apoplecticis frequentius apparentibus, accuratissima et custodum et medicorum investigatione et vigilantia in eos, qui cum aegro suspecto versantur, opus esse, ut intelligamus, num paroxysmi quasi apoplectici vehementissima contentione vel usu tartari stibiati, herbae digitalis purpureae interno etc. exoriantur. Medicamina, quae in impetu ipso adhibemus, etiam ad veritatem detegendam idonea existimanda sunt, praecipue ictus electricus, cauterium et sternutatoria.

Krügelstein commemmorat exemplum, a Zacchia [1]) observatum, impostorem quendam, quotiescunque alii postularent, omni tempore apoplexiam simulasse.

---

1) Pauli Zacchiae quaestiones medic. legal. Libr. 3.

8.

Lethargus simulatus

aequalem fere tractationem requirit, qui et irritamentis externe adhibitis et repentine suscitando horrore et timore injecto atque tumultu excitato saepius inopinate detegi potest.

Accuratissima quoque observatio ejusmodi aegri aut simulatoris necessaria est, praesertim cum nonnulla exempla adsint, homines somno abnormi, qui, quod vix credibile est, per longum temporis spatium duraverit, fuisse captos, cujusmodi exemplum Metzger ipse observavit [1]), puerum quinque annorum quinque dies noctesque continuo dormivisse; idem medicus alia lethargi exempla memoratu dignissima refert. Praterea mulierem lethargum simulantem emplastris vesicatoriis fortioribus e somno viginti quatuor horarum excitavit; quo facto mulier medicum vehementissime exsecrata est.

9.

Chorea St. Viti

peculiaribus propriisque artuum gesticulationibus cognoscitur, quae felicissime et simillime vix fingi possunt; praeterea veri aegroti etiam dormientes contractionibus extremitatum spasmodicis palpitatus instar, et tendinum subsultu laborant atque brachia cruraque huc illuc saepius vertunt; sin minus, fraudis suspicio maxima est. Alia quoque signa pathognomonica, ut iracundia ejusmodi aegris propria et facilis excitatu, adspectus faciei amenti

---

1) Metzger's System der gerichtl. Medicin., verbessert von Gruner und Remer. P. 452. c.

non dissimilis, item causae occasionales et morbi antecedentes ad fraudem detegendam certissime plurimum conferunt, praecipue si ejusmodi vir diligenter et interdum occulte observatur. Insuper non alienum est, commemorare, chorea rarissime aetatem virilem corripi, et infantes saepius occupari, nisi praedispositio virorum quaedam singularis ad nervorum morbos praevaleat. Fortunatus Fidelis [1]) suadet, ut medici tales aegros solummodo in camera, solis radiis optime clausa, lumine vero candelarum illustrata, per nonnullos dies observent, putans quippe, verum impetum convulsivum non nisi interdiu apparere; unde eluceat, fraudatores, qui, diei et noctis horas in conclavi confundentes post occasum solis saltare perrexerint, se ipsos denudaturos esse.

Quod remedium autem fallax esse habendum, experientia satis superque confirmavit.

10.

Abstinentia alimentorum

vel rejectio omnis omnino victus, et cibi et potus, vera ac simulata apud mulieres, ut medici forenses dicunt, praecipue ad misericordiam movendam vel ad morbum graviore fame et longo jejunio evocandum passim observata est; simulata autem abstinentia tum demum nominari potest, si impostor omnia nutrimenta contemnit, quae sibi suppeditantur, claudestine autem ab aliis hominibus cibos assumit. Ejusmodi simulationes inter milites versutos, alium morbum imitaturos et hoc modo fraudem confirmaturos, haud raro observantur.

A diversis auctoribus plura abstinentiae omnium

1) Fort. Fidelis de relationibus medicorum. Lib. 2. Pag. 126.

alimentorum et inediae exempla miraculosa relata sunt quae maxime dubitanda viderentur, nisi a viris fide dignissimis confirmata essent, quorum praecipue Krügelstein 1) et Metzger 2) aliique memoratu dignissima et insignia referunt.

Hufeland e. g. 3) enarrat, septem viros in fragmento glaciei maximo absque omni nutrimento et fere sine somno per septendecim dies vixisse; et Metzger refert, virum aliquem dormientem sub magna straminis copia absconditum per quinque hebdomades omni cibo potuque carentem, conservatum fuisse.

Siquis revera omnia nutrimenta rejicit, nullo corporis mentisque morbo antecedente et adhuc ingravescente, brevi tempore universalis lassitudo et virium consumtio incipiat, oportet; sin minus simulante generatim bene se habente, fraudis suspicio subest. Qua in re maxime necesse est, non solum vestes simulatoris et omnia loca vicina accuratissime indagemus, sed etiam diligenter et occulte observemus, praecipue ne simulator ab amicis, cognatis aliisque hominibus, qui ad eum accedunt, alimenta accipiat.

Deceptores acutissime observati, simulatoris personam diu sustinere nequeunt, praecipue si alii homines, praesentibus ipsis, cibos edunt, maxime eos, quos simulantes imprimis amare, compertum est. Porro, suspicione orta, alvi urinaeque excretiones et ipsa transpiratio ad verum detegendum respiciendae sunt, num haec

---

1) Ejusd. promptuarium medic. for; articulo: inedia et jejunium II.
2) Metzger's System der gerichtlichen Arzneiwissenschaft, pag. 454.
3) Ejusd. Journal der practischen Heilkunde 1811. März, pag. 116.

omnia necessariis diuturnae abstinentiae effectibus consentiant. Nam alvi praesertim et urinae excretionum quantitatem atque qualitatem, et transpirationem in statu vero magnopere commutari, inter omnes constat.

11.

De hypochondria et hysteria simulata.

Longum est, verba multa de his morbis facere, quia in utroque simulationis respectu satis cognitum est, quibus in casibus aegrotorum querelae magni faciendae sint magnamque fidem mereantur. Uterque morbus facillimus imitatu est, quoniam phaenomena maxime varia secum fert.

Formey de hypochondriae et hysteriae simulatione diciti 1): Ejusmodi simulatores saepissime obvenire, et jam pueros puellasque harum artium studiosos esse et peritos.

Inter milites rarius tamen occurrunt. Deceptor remediis adhibitis, valeriana, asa foetida, salibus sapore malo ingratis defatigatus facilius se prodet, quae medicamina, quam verus aeger, non diu sumet.

Quo difficilius dijudicatu malum hypochondriacum et hystericum per se est, eo difficilior status simulationis erit. Investigatio aegrotorum accuratissima, ad vitia abdominis, ad constitutionem atrabilarem vel nervosam, ad morbos antecedentes etc. spectans et iterum iterumque repetita prae ceteris maximi est momenti. Interdum occupatio apta et negotia continua, strenue mandata, remedia sunt utilissima, et ubi suspicio fraudis maxime adaucta est, adeo minae castigationis adhibendae sunt.

---

1) Henke, Zeitschrift der Staatsarzneikunde. Bd. 7. p. 226.

VIII.

De morborum animi simulatione.

E morbis mentis, inter quos et morbos nervosos hypochondria et hysteria quasi interpositae jure meritoque putantur 1), complures et rationis exaltatae et depressae 2), ut anoiam, praecipue vero melancholiae speciem, nostalgiam vulgo nominatam, pariter atque maniam ecstasinque deceptores versutissimi haud raro simulaverunt.

Quorum quidem fraudem brevi detegere ideo difficillimum est, quoniam affectiones mentis morbosae in universum faciliores imitatu, quam deprehensu sunt, praesertim cum astutissimos et malis in artibus exercitatos perscrutandos habemus. Quantopere detegendae fraudis difficultas augetur, ubi ne una quidem causa concreta, unde propria morbi phaenomena repetantur, inveniri potest!

Itaque difficillimam dijudicationem vesanorum esse, maximamque animi sagacitatem medicorum ad mentis morbos accurate perscrutandos esse necessariam, egomet ipse, institutis vesanorum, quae in castellis Saxoni-

---

1) Choulant, Lehrbuch der speciellen Pathologie des Menschen. §. 863.

2) Ejusd. §. 877; et Heinroth, Lehrbuch der Störungen des Seelenlebens. 1 Bd. Pag. 235.

cis Sonnenstein et Colditz, atque Pragae florent, inspectis, et singulis hujusmodi aegrotis in clinicis diversis observatis intellexi.

Cum aliorum morborum, tum horum simulatores accuratissime et diligentissime continuo observari debent.

Quare medicus, experientia edoctus, causas occasionales, quae ad educationem, vitia, cupiditates etc. attinent, statum hereditarium quoque aliosque morbos primarios et antecedentes respiciat et haec omnia cum symptomatibus singulis comparet, oportet.

Licet ipse mentis morbos rarissime investigaverim quippe in militia non crebro occurrentes, de nonnullis tamen facere verba ausim.

Singularis animi morbus, in militia interdum obveniens, quem cognoscere medicorum militarium maxime refert, est

1.

Melancholiae species, quam nominamus Nostalgiam.

Hic morbus, e desiderio patriae acri ortus, apud tirones haud raro tam levior animi commotio brevi tempore plane evanescens, quam propria animi affectio diuturna et chronica aliis quoque adversae valetudinis phaenomenis eam comitantibus, apparet.

Melancholia nostalgica simulata in his fere conspicitur phaenomenis, quod simulans a militia mirum quantum abhorrens, in pristinam vitae conditionem redire cupit, quamvis bene se habeat, musculi firmissime agant,

concoctio aptissima, somnus quietus et minime interpellatus, et vultus serenus sit, ita ut fere nulla morborum symptomata animadverti possint.

Melancholia autem vera (nostalgiae decursum postea pluribus describam) praesertim his phaenomenis cognoscitur: Animo tristissimo, quasi fracto et demisso, ita ut aeger paucissima loquatur, lacrymas clam fundat, et saepius oculos torvos per longum tempus in eundem locum convertat et omnino imaginem hominis perpessi prae se ferat, vel ad mortem sibi consciscendam proclivior sit; quare omnia, quae ipsum cingunt, maxima animi lentitudine conspicit et respectat. Hunc morbum ad depressiones pertinere, quarum esse gravissimam, omnibus satis cognitum est.

Quoad nostalgiam nonnulli dijudicarunt, morbum esse proprium quasi genuinum. Sed si decursum hujus morbi accuratius respicimus, symptomata etiam nostalgiae nulla esse alia, nisi melancholiae verae, causam vero huic morbo, nimirum acre domùs desiderium, esse propriam, intelligimus. Larrey 1) interpretatus est, tria stadia nostalgiae distingui posse, quae facile intelligenda sunt.

Vechowitz 2) in dissertatione de nostalgia dicit, causam nostalgiae proximam e vitio imaginationis repetendam esse, quod exstingui non possit, nisi aeger ad suos redeat; idem (nescio quo jure) triplici modo nostalgiam explicat, nostalgiam idiopathicam, complicatam et simulatam.

In minoribus exercitibus, v. c. in Saxonico, et in terris, quae finibus arctioribus continentur, praecipue

---

1) Clinique chirurgical. Tom. prem. 325 et 328.

2) Friedreich, Literärgeschichte der Pathologie der psychischen Krankheiten. P. 299.

ubi militibus quotannis per plures menses in commeatu esse licet, nostalgia vera rarius observatur. Intra quatuordecim annos mihi tantum duo ejusmodi aegri observandi occurrerunt, quorum alterum ante breve tempus inter praetorianos exercitus Saxonici perscrutatus sum.

Sententiam vero, quam antea exposui, nimirum nostalgiam nonnisi melancholiam a causa propria, acri desiderio domum redeundi, derivandam esse, Amelung 1) etiam edixit, qui loco laudato refert, hunc morbum, ab initio febri nervosae versatili, postea stupidae conjunctum sub forma melancholiae acutae apparere.

Sed ad cognoscendam simulationem non alienum erit, phaenomena morbi ipsius paucis verbis describere.

In vera melancholia nostalgica solummodo ex acri desiderio, domum vel ad suos redeundi, orta ab initio lenior valetudinis adversae gradus adesse solet, quem universa aegrotatio subsequitur. In nonnullis aegrotis, ut Larrey refert, initium morbi ex somnambulismo duci fertur; porro anxietas et peculiaris inquietudo, utpote delirium mite, quod brevi praeterire solet, observatur; hoc stadium tanquam prodromus morbi imminentis considerandum est.

Tunc aeger, nutrimenta rejiciens, omnino est animo demisso et imaginatione quasi exaltata correptus, qua loca patriae, parentes, cognatos et amicos conspicit.

Qui status exaltationis his symptomatibus declaratur: Capite calidiore attactu, a congestionibus dependen-

---

1) Friedreich, Magazin für Seelenkunde. 4 Heft. p. 150. Zusätze zur Abhandl. über das Heimweh.

te, vultu inquieto et circumvago, sed imbecilli, loquela praecipite et celeri, motibus artuum irregularibus, pulsu pleno atque excitato, et diversis febris nervosae versatilis phaenomenis.

Nisi morbus tollitur, status depressionis nervosus accedit, incipiens ab affectione systematis gastrici anomala. Aeger fere semper est silens et taciturnus, tristis, lacrymas clam fundit, paucissima loquitur, ejusque sermones et occupationes semper ad res familiares spectant; occupationes autem sociorum vel ipsae voluptates aegro perquam displicent; vultus est magis inquietus, magis imbecillis et languidior, oculis saepissime torvis diu in eundem locum conversis. Aegrotus solummodo de loco natali cogitat atque loquitur laetitia infantili fere elatus, si cognatorum quispiam vel amicorum advenit.

Denique somnus inquietissimus aegrum non reficit, quippe qui vel plurimum somniet vel in somnis laboret. Coitus etiam desiderium extinctum esse videtur. Concoctio maxime debilis et appetitus cibi omnino nullus est, ita ut imo abstinentia ab omni cibo potuque, interdum quoque taedium rerum fluidarum et pellucidarum appareat. Pulsus parvus, celer et debilis redditur, et motus febriles iis similes sunt, quos in febre nervosa stupida reperimus; quibuscum collapsus virium maximus et tabes universalis incipiens observatur, quidquod aeger in gravissimo morbi stadio, conscientia interdum paulo ante sublata, deliriis murmurantibus, diem supremum obit.

Remedium optimum et certissimum est, aegrum primo quoque tempore ad suos se recipere. Quae quidem phaenomena in melancholia nostalgica simulata deesse, vix est, quod dicam.

Ad fraudem detegendam non modo nostalgiae sed etiam melancholiae in universum medicus perscrutans maximam sagacitatem et patientiam adhibeat, oportet, ne quem revera infelicem injuria afficiat, neque remediis cruciantibus torqueat. In perscrutanda melancholia prae ceteris inspiciat: Ecquis adspectum et modum se gerendi continuo retineat, num morbi chronici antecesserint, porro num semper in eodem statu melancholico versetur; quibus omnibus diligentissime investigatis veritas aut fraus elucebit.

2.

Anoia

s. stupiditas ipsa interdum simulata est, sed vultus et frontis conformatio amenti (fatuo) vero propria et peculiaris, cranii forma minor, facies contra major, pallida et oedematosa, os tremens, quod saepius hiat, quare saliva continuo defluit, porro oculi singulari quadam conditione praediti, languidi, vagi vel etiam defixi et hebetes, memoria tenuis et invalida, mens angustissima atque imbecillima, et modus se gerendi puerilis et inhabilis: — haec omnia non facilia imitatu sunt, etiamsi deceptoribus contingat, ut patientiam medici observantis stulta et ridicula oris distortione ineptisque gestibus per aliquod tempus defatigent. Attamen medicus aliis quoque morbi ipsius phaenomenis, e. c. ingressu incerto et vacillante, praecipue movendi ac sese gerendi ratione maxime inhabili et inopi et tardo sinistroque artuum usu nitetur, quaestionibus ancipitibus ad explorandum ingenium propositis.

3.

Maniam

etiam et tacitam et furibundam interdum similiter fictam esse, alii autores enarrant. Fraus autem brevi pate-

facienda est, si ejusmodi viri constitutionem, temperamentum aliaque necessaria in nosocomio accuratius perscrutamur.

Namque simulatores prodromis morbi prorumpentis peculiaribus, qui interdum longiore tempore praecedunt, pariter atque phaenomenis phrenitidi similibus carent. Praeterea magnae musculorum vires, quas maniacus verus exercet, quibus autem simulator plerumque destitutus est, in perscrutatione haud negligendae sunt, sicuti status intermissionis inter singulos paroxysmos, quo quasi melancholicus esse solet, prae ceteris respiciendus est. Neque minus medicus cavebit, ne iram vehementem solam vel animum ebrietate excitatum cum vera mania commutet.

4.

Ecstasis,

quam medicus prudentissime perscrutari debet, imitatu facillima, deprehensu difficillima est, quoniam ejus phaenomena occurrere solent, quin functiones corporis majoris momenti laesae animadvertantur.

Ut in melancholia animus depressus observatur, sic in ecstasi, signis maniacis deficientibus, excitatus est.

Phantasmata maxime varia in statu vero prae ceteris eminent, in quibus aegri eo progrediuntur, ut quietem necessariam et somnum negligant.

In quo quidem statu simulatorem ejusmodi personam induere et indutam continuare posse, ita ut loquelam celerrimam et loquacitatem peculiarem per longum temporis spatium retineat, nulli dubio subjectum

est. Quidquod videmus, deceptorem sententias consideratas praferentem, nonnunquam personam oblivisci.

Itaque ad fraudem deprehendendam vitam totam simulatoris anteactam, animi motus ejusque affectus et libidines, utpote temperamentum et constitutionem peculiarem diligentissime indagemus, maxime necesse est.

Krügelstein aliique celeberrimi medici forenses plura ejusmodi ecstasis exempla memoratu dignissima et gravissima attulerunt, quae magis ad hysteriam simulatam pertinere videntur. Foderé [1]) ecstasin mulieris simulatam hac ratione enudavit, eam his verbis allocutus: Crastino die iterum reveniam, et ubi videro, te continuo ululare, te nondum indutam esse neque conclave mundasse, ferro candente humeros tuos uri jubebo. Postridie mulier vestita, conclave mundatum et fraus detecta erat.

Inter milites, Marschall aliisque auctoribus, animi morbi aut eorum simulationes rarius occurrunt. Si conscripti eos praetexunt, testimonia medicorum, judicum vel aliorum hominum fide dignorum a medicis militaribus respiciantur, oportet; sin stipendia merentes fingunt, in nosocomio diligentissime inquirendi sunt.

Quae perscrutatio medico eo difficilior erit, quo rarior occasio ejusmodi aegros videndi oblata fuerit; curam enim vesanorum in universum difficillimam esse, et studium paene totius vitae maxime strenuum requiri, quis est, qui non intelligat.

---

1) Schmetzer. Pag. 53.

IX.

Simulatio morborum sensuum.

Nonnullorum ejusmodi malorum simulatio interdum difficillima detectu est, praesertim, cum nonnulli oculorum morbi externis phaenomenis, e. c. mutatione membranarum vel humorum oculi etc., aliisque signis manifestis minime patefiant, quod etiam ad alios sensuum morbos referri potest; huc amblyopia, myopia, dysecoia pertinent. Alii autem morbi, utpote sensuum apperceptioni subjecti, deprehensu faciliores sunt, ut maculae corneae, ophthalmiae, cataracta etc.

1.

Hebetudo visus, amblyopia et myopia

ubi simulantur, accuratam oculorum inspectionem et explorationem postulant, in qua pupillam, contractionem iridis ejusque colorem, praesertim utroque oculo comparato, eam bulbi regionem externam, quae orbiculo ciliari respondet, bulbi totius conditionem, corneae etiam rationem convexam et pellucidam vel his contrariam diligenter explorare debemus.

Amaurosin

praetereuntem, quae narcoticorum usum, diuturnam lucis inopiam, ebrietatem vel nonnullos morbos febri-

les et spasticos sequi vel eos comitari solet, pari modo a permanente distinguemus. Nimirum impostores quidam dilatationem pupillae artificialem et iridis contractionem usu interno externoque belladonnae, hyoscyami, stramonii etc. efficere, eaque ratione amaurosin praetereuntem producere student. Sed accuratissima aegri ejusque vestimentorum perscrutatione continuata satis superque elucebit, num amblyopia amaurotica, an fraus turpissima deprehendatur. Praeterea diligenter observabimus, num bulbus vigore proprio careat, num pupilla neutiquam nigra, sed potius glauca appareat et maxime dilatata a luce cieri nequeat, quae phaenomena in amaurosi vera inesse solent; neque minus inspiciendum est, num forma pupillae regularis, an obliqua et distorta sit.

Verumtamen ne medicum fugiat, pupillas nonnullorum amblyopia et gutta serena vera laborantium minus dilatatas, ideoque magis contractas et justo angustiores apparere, quod chalcographis aliisque hominibus, qui in rebus subtiliter perpoliendis et in negotiis, quae aciem oculorum maximam et diutius intentam requirunt, saepius agendis, vel in eodem colore inspiciendo in dies versantur, accidere haud raro animadvertimus. In clinico ophthalmologico Dresdano nonnullos ejusmodi aegros visitavi, quorum status amauroticus verus cum pupilla angustissima et immobili conjunctus erat.

2.

Myopia

autem suspicione exorta ad aciem oculorum investigandam tentationes faciendae sunt, ita ut e. c. myopia laborantem perspicillo, veris aegrotis adaptato, cujus vitra in utraque superficie concava sunt, statim ad legen-

dum uti, vel eum oculis propius, quam fieri solet, librum admovere jubeamus. Utraque ratione accuratissime observabimus, num legens oculos maxime contendat. Interdum etiam eidem perspicillum in utraque superficie convexum, quod propter effectum contrarium myopia laboranti minime convenit, suppeditare juvabit, cujus ope si bene legerit, de fraude non amplius est dubitandum.

Si qui veram et completam amaurosin adesse dicunt, iris utraque, causis morbi diligenter exploratis diversis diei temporibus accuratissime observetur, qua in re tentamen medico simul faciendum est, ac si oculum acumine subito puncturus sit; nam eodem momento sanus, terrore perculsus, caput repente retrahet. Simulatione hoc modo nondum aperta aliae detegendi rationes ineundae sunt, ita ut oculum, quem dicit morbo affectum, diversis diei horis et in coelo sereno luceque clara et in loco obscuriore pluries perscrutemur, praesertim autem eo tempore, quo simulans e loco obscuro in claram lucem caute tamen transducitur, vel ut ad contractionem iridis inquirendam manibus v. g. oculo supertectis vel palpebra per aliquod tempus clausa, nunc subito levata utamur, vel etiam simulantem, qui se solum esse putat, clam accuratius observemus, vesicantiis, imo setaceis antea adhibitis.

Quibus omnibus aptissime continuatis impostor exercitatissimus et versutissimus foret, nisi nudaretur.

3.

Mórbi corneae praetereuntes, arte provocati, quos chronicos praetexunt impostores.

Morbi, qui sub forma nubecularum et macularum acido minerali, praecipue acido nitrico, calce viva etc.

parantur, per longum tempus vix continuari possunt, quin simulans in damnum et periculum incidat, ne maculas permanentes et insanabilem corneae destructionem inde retineat. Attamen experientia docuit, fuisse, qui mutilationes oculorum aliorumque corporis artuum sibi inferre, quam inter milites versari vel omnino labores sustinere, maluerint.

Marschall simulationem corneae opacae particula panni bombycini tenuioris in bulbum agglatinata effectam, illa ablata, statim deprehendit.

Omnes vero haud dubie maxima admiratione afficientur, legentes, (Dictionnaire des sciences medic. Tom. 51. pag. 320.) medicum nomine Tartra observasse, juvenem quendam ad militiam conscriptum vel cataractam arte sibi contraxisse.

4.

Inflammationes oculorum et partium, quae oculos cingunt, palpebrarum, canthorum etc., praetereuntes, sed per dolum fictae et quasi chronicae simulatae

ab impostoribus haud raro efficiuutur, qui oculos vicinasque partes rebus acribus et spirituosis irriant, ideoque per aliquod tempus statum inflammatorium continuant.

Quam irritationem deceptores efficere solent particulis minimis emplastri cantharidum lenticularibus, sub palpebra occultatis, quas ibi retinent, vel particulis tenuissimis arenae, cantharidum, cineris nicotianae, pulveris sternutatorii vel aluminis crudi, imo hydrargyri muriatici corrosivi aliarumque ejusmodi rerum magis mi-

nusve irritantium in superficiem palpebrae internam inspersis; — vel nonnullis fluidis, v. c. urina, tinctura cantharidum, succo nicotianae e fistulis fumiferis effluente, oleo terebinthinae etc, guttatim in oculos infusis; — vel sapone viridi et unguentis acribus aliisque illitis — vel ciliis erutis et marginibus nudis acu tenui vel crine equino punctis. Krügelstein refert exemplum a Borges (Kopp, Jahrbücher der Staatsarzneiwissenschaft. II. p. 246.) observatum, juvenem conscriptum particula emplastri cautharidum inter bulbum et palpebram inferiorem immissa ophthalmiam effecisse; Borges vero, fraudem suspicatus, cum inferior tantum bulbi pars vehementer ruberet, palpebram investigans, in ejus superficie interna statim particulam animadvertit.

Eodem loco Krügelstein aliam fraudem enarrat: Miles quidam, qui noctu in excubiis fuerat, praetexit, se caecum esse factum; medici, fraudis suspicione exorta, quoniam iris normalem contractionis vim praebebat, omnibus fere remediis adhibitis, tandem hoc fecerunt, ut militem ad ripam fluvii perductum procedere juberent, qui in simulatione eo progressus est, ut in flumem decideret. Iste vero cum dimissionem accepisset, medicis amaurosin veram putantibus, se morbum simulasse, sponte aperuit; librum legens medicis validam oculorum aciem praebuit.

Sed maxime inquirenti medico cavendum est, ne ophthalmiam scrophulosam aliamque chronicam pro simulata habeat.

In omnibus autem ejusmodi oculorum affectionibus, quas mala arte provocatas et rebus oculos irritantibus consilii propositi causa excitatas esse, haud dubiam suspicionem habemus, impostorem potissimum observabimus, eique omnem occasionem, rebus irritantibus oculos stimulandi, detrahemus.

Praeterea symptomata praesentia, respectu eorum vehementiae, cum iis comparabimus, quae in inflammatione vera, a causa specifica dependente, ut in inflammatione catarrhali, rheumatica, arthritica vel scrophulosa, syphilitica, scorbutica, vel in ophthalmia traumatica genuina aliisque inveniri solent, quo facilius veritas ex indole morbi propria, e febre, quae ophthalmiae gradui majori vel minori conjuncta est, porro e decursu acceleratiore aut tardiore, denique e causis et phaenomenis singularium ophthalmiae specierum propriis cognoscatur.

Nam si de inflammatione specifica sermo est, non solum vera et simulata opthalmia discernenda erit, sed etiam cetera symptomata essentialia, dispositio ad morbum peculiaris et causae occasionales non obiter perscrutandae sunt.

Inflammatio oculorum traumatica hac potissimum ratione differt ab ista, quae pravo consilio provocatur, quoniam ex vulneratione tantum bulbi vel partium proximarum oritur, quam acceptam simulator monstret, oportebit; etenim ophthalmia, omni causa specifica deficiente, sed sponte excitata, mox sanabitur.

In ophthalmia ficta seu per dolum provocata plerumque alter oculus altero salvo affectus est; in vera saepius uterque oculus vel deinceps alter alterius morbum excipit. Neque vero ad veritatem deprehendendam investigatio omnium rerum simulatori vicinarum negligenda, utpote regimen et diaeta tam universalis, quam partis morbo affectae ipsius, aptissime instituenda est.

5.
Dysecoia ficta

eodem modo, sed ob majorem difficultatem diligentiore causa et attentione inquirenda est. Aure tota externa

cum vicinis partibus et meatu auditorio externo, sicuti regione faucium accuratissime inspecta vel tenuibus instrumentis explorata, num forte corpora aliena duriora, ut lapilli, fabae, pisa, vel cerumen auris exsiccatum vel corpora molliora fluidis corrodentibus tincta in meatu auditorio externo abscondita sint, an causa hujus morbi in regionibus faucium prope tubas Eustachianas inveniatur, perscrutatio generalis diligentissima instituenda est de morbi ipsius causis et malis, quae antecesserint, de origine etiam et praesertim de statu anamnestico, imo de consiliis, quae deceptor sibi proponere potuerit.

Quemadmodum enim homines versuti oculorum morbos arte provocare student, ita etiam dysecoiam et surditatem fingunt; e. g. nuperrime observavi, militem quendam acidi mineralis usu otorrhoeam provocasse ideoque surditatem imitatum esse.

Tentationes etiam variae ad fraudem enudandam verbis aliquibus leniore et lenissima voce insusurrandis faciendae sunt; vel nummum dejicimus, quin surdus videat; vel, ubi hoc minus valet, simulatorem apte diverseque ita obstupefacere studemus, ut fraudem illico obliviscatur.

Neque minus ad facultatem auditus perscrutandam simulatorem, in conclavi inclusum, clandestine, praecipue vero noctu inter somnum diligentissime observemus, oportet, dormientem terrore ac strepitu subito expergefactum nudaturi. Qua quidem ratione plurimi surditatis simulatores a medicis forensibus et militaribu aptissime deprehensi sunt.

Majores surditatis gradus simulati rarius occurrerunt, quoniam ejusmodi deceptores vix ac ne vix quidem talem pertinaciam et animum tam obstinatum diu

continuare possunt, quin personam impostoris deponant.

Jam in ipsa investigatione accomodatum erit, initio simulatores fortius alloqui et sensim paulatimque voce leniore ac tenuiore et tandem lenissima uti, quo tentamine, nisi constantissimi sunt, solo capientur.

Plures medici exempla surditatis simulatae admiranda profecto commemorant. Sic v. c. Krügelstein enarrat, militem aliquem eo pertinaciae in surditate simulata progressum esse, ut, sclopeto manuali prope aures repente emisso, nullum terroris, ne animadversionis quidem signum ederet; nihilo secius surditas simulata fuit, nam tentamine noctu repetito dormiens terrore perculsus e lecto prosiluit.

Ejusmodi deceptoris surditatem pertinacissimo animo continuatam aperuit Helbig. Plurimis remediis frustra adhibitis, terrore etiam injecto, diaeta minima praecepta, medicus, fraude tandem defatigatus, minis horribilibus eum affecit, dicens, quoniam fraudatio certissima habenda sit, castigationem publicam, incessum per ordines militum sexties faciendum, ad verbera virgarum proximo die subeunda, a judicio militari constitutum esse; quam rem ut medicus confirmaret, omnia ad exsecutionem pertinentia, praecipue virgas coram impostore apponendas curavit. Noctu autem simulans vehementissime exclamare incepit, dicens, se strepitum in auribus tonitru non dissimilem animadvertisse, quo facto auditum acerrimum receperit.

Plures dysecoia majoris momenti vel surditate propria laborantes observavi et semper accuratius animadverti, loquelam ejusmodi aegrorum ipsam peculiarem

aliquem sonitum inde accepisse, eosque sonum singularum syllabarum acutum sensim amisisse, quiqqe qui miserrimi nec alios, nec se ipsos loquentes audiant, ideoque pristina distinctae pronunciationis syllabarum acie destituantur.

In nonnullis ejusmodi, utpote in aliis morbis fictis, simulatori indicare, operationem magnopere dolentem contra morbum imminere, fortasse haud alienum erit, vel ipsam operationis praeparationem comminari juvabit, qua ratione fraudem illico patefactam esse, experientia docuit.

6.

Aphonia.

Eadem exercenda arbitror, si quis se mutum, quod semper suspiciosum est, vel surdo-mutum simulaverit. Attamen surdomutus peculiari habitu faciei et indole animi diffidente et suspiciosa interdum facilius cognosci potest; mente capto non est dissimilis.

Exemplum memoratu dignum et insigne Krügelstein refert: Juvenem per plures annos maxima cum prudentia et dolo surditatem et aphoniam simulavisse, quam fraudem, qua juvenis permultis hominibus illuserat, Sicardus (abbas) detexit, vitia orthographica, quae surdo-mutus in scribendo falsa pronuntiatione, quam forte audierat, inductus fecerat, animadvertens. Jam cum omnino fieri nequeat, ut surdo-mutus vitia sermonis committat, non mirum erat, quod ille fraudis confestim coarguebatur, quam postea ipse confessus est, dicens, se simulatione diuturna eo pervenisse, ut nesciat, quae sit audiendi facultas.

Aliud ejusmodi exemplum Schneider 1) proposuit, se aphoniam simulatam maxima obstinatione continuatam observasse. Nimirum fur famosissimus, qui jam per aliquod tempus in vinculis fuerat, coram judicibus se surdum mutumque repente simulavit. Tota oris cavitate, palato, utpote auribus externis accuratissime inquisitis et perscrutatione universali instituta, medicus ne unam quidem causam reperire potuit, ex qua aphonia repentina orta esset, et omnibus, simulationem subesse, persuasissimum fuit. Medico, etsi minaretur, se castigatione vel cauterio usurum esse, quod postridie in ejus dorso revera applicatum est, non contigit, ut impostorem pertinacissimum convinceret. Quare ad aliam rationem conversus deceptorem cogebat, ut mixturam male olentem et sapientem, ex oleo petrae, asa foetida et Kali sulphurato paratam sumeret. Quo facto simulator aphoniam tandem relinquens, dolum confessus, ad vocis usum rediit.

---

1) Friedreich, Magazin der philosoph. Seelenkunde. 2. Hft. Pag. 64.

X.

Morbi dolorosi simulati.

Affectiones dolorosas non tam facile simulari posse, omnino putaverimus, quia maxima animi constantia ad simulationem continuandam opus est. Nihilominus autem complures inter affectiones organorum internorum et extremarum corporis partium dolorosas reperiantur, quae facillimae imitatu, difficillimae vero detectu sunt, quamquam de affectionibus cum statu febrili conjunctis, quae etiam multo facilius dijudicari possunt, idem statuitur, quod omnimode morbis febrilibus et inflammatoriis generatim dicam.

Huc pertinent nominatim cephalalgia, pleuresis, colica, dolores rheumatici, arthritici atque nervosi aliique.

Cum tales morbi dolorosi per aliquod tempus duraverunt, in universum respiciendus est arteriarum ictus, respiratio, modus aegri in ipsis doloribus perpetiendis sese gerendi, inquietudo et anxietas, quamvis in morbis revera dolentibus doloris quidam gradus adesse potest, priusquam signis generalibus appareat, quod praesertim de chronicis affectionibus dolorosis valet.

Porro in simulationis certa suspicione talis hominis appetitum aut ciborum fastidium atque effectum medicaminum adhibitorum, sicuti causas occasionales accurate observare, magni est momenti. Nam ejusmodi si-

mulatores neque libenter, nec diu medicamina sumere solent. Medici experientia edocti etiam hic aptam sententiam ferent, consiliis simulantium non neglectis, qua ratione saepissime plus efficitur, quam signis diagnosticis, per se jam incertis et fallacibus.

Galenus praesertim ad dolores perscrutandos monet, ut „dolorum species investigemus, quae affecto membro propriae sint; sic aliae pungunt pulsantque, aliae quodammodo obstupefacere, aliae gravare videntur.“

Ideoque accurate distinguemus, quae et qualis sit doloris ratio, etenim; ubi in dolore inflammatorio omnia phaenomena phlegmones stricturaeque inflammatoriae propria et universalia et localia plane deficiunt, vel ubi in dolore praecipue nervoso signa pathognomonica absunt, e. g. pulsus parvus, suppressus, debilis, vix attingendus, facies pallida, anxietas peculiaris, lassitudo corporis universalis, extremae partes corporis frigidiores etc.; suspicio maxima oritur, quare, quantum valemus, ad veritatem detegendam, anniti debemus.

1.

Cephalalgia

facillime simulari potest, quippe quae, ut alii morbi, interdum maximam partem intermittens s. periodica occurrit, idcirco difficilior deprehensu est, quoniam spatia interposita fraudatori supersunt, quibus personam deponat.

Cephalalgia rheumatica et arthritica acuta, item a congestionibus ad caput et a statu gastrico dependens, ex aliis morbi ipsius phaenomenis simul observandis vel antecedentibus facilius cognoscetur, quam cephalalgia

nervosa et proprie dicta hysterica, sicuti in vitiis cerebri et cranii organicis.

In cephalalgia vehementiore faciei, vultus et adspectus alienationem animadvertimus, aeger maxime inquietus aut quasi soporosus reperitur, somnus impeditus, et plerumque tanta animi perturbatio et inquietudo atque sublata virium mentis intentendarum facultas observatur, ut aeger negotia vel minima et facillima facere omnino nequeat, cui quidem dolori maximo aliae etiam affectiones morbosae, vertigo continuus, nausea et ipsae vomituritiones, imo deliria conjunguntur. Krügelstein autem, se ipsum sine ulla faciei, vultus et corporis habitus mutatione vehementissimis doloribus capitis periodicis laboravisse, enarrat.

Praeterea vestigia fracturae ossium cranii interdum occurrunt, quin ulla animi sensuumque functionum perturbatio vel dolores capitis aliaque mala relicta animadvertantur.

Tale exemplum commemoratu dignum Textor affert, [1] virum aliquem, morbo, nescio quo, mortuum, per quindecim annos impressiones duas cranii permagnas ictu mallei exortas, quibus in tabula vitrea nonnullae eminentiae corresponduerint, sensorii communis functionibus minime laesis, sustinuisse.

E quibus quidem duobus exemplis, quam dubium et difficile sit judicium, satis superque elucet; quare in simulationis suspicione investigatio aegri aut simulantis accuratissima et singulorum morbi symptomatum perscrutatio, sicuti comparatio totius status cum affectionibus antecedentibus, cum morbis primariis et cum

---

1) Kleinert, Repertorium der Medicin. Jahrgang 7ter; IV. Heft. 1833.

aegri querelis ac indiciis necessaria est, quo melius inter curam ipsam ratio deceptoris se gerendi clam observetur et auscultetur.

Porro variis remediis derivantibus ad nucham aliasque corporis partes, diaeta minima aliisque ad fraudem aut veritatem detegendam utimur, simulantem etiam in lecto, certe in conclavi continuo perseverare cogemus, qua libertatis circumscriptione omnis quaeque consilii persequendi occasio ac spes detrahetur.

2.

Pleuresis

proprie sic dicta et motibus febrilibns conjuncta difficulter effingitur, et brevissimo tempore, dummodo aeger accuratius observetur, e signis stricturae inflammatoriae pathognomonicis, e pulsu, e motibus febrilibus ipsis ceterisque phaenomenis omnibus pleuritidem comitantibus, vel e signis, quae statum spasticum declarant, cognoscetur. Pleuresis chronica, saepissime simulata, eadem, qua pectoris affectiones chronicae, ratione indaganda est.

3.

Colica

etiam saepenumero a putantibus scilicet deceptoribus simulatur, medicum verbis solis falli.

Sed dolores intestinorum vehementiores singulari quadam anxietate, vultibus anxiis, inquietudine continua, perpetuo jactando et incurvando corpore declarantur, qua in re simul alia quoque symptomata, sudores frigidi, lassitudo universalis, facies pallida, pulsus arte-

riarum parvus, vix attingendus, inaequalis et spasticus, abdomen extensum tumidumque aut contractum, obstructio alvina aut profusio et flatus etc. occurrunt; quibus quidem indiciis propriis deficientibus, profecto est, quod fraudem suspicemur, quam omni modo detegere studeamus. Quam ob rem aeger, quantum fieri potest, doloris rationem, locum et alia signa simul praesentia accurate describat, oportet, eaque in re indiciis falsis deprehensis eum brevissimo tempore simulatorem perspectum habebimus. Quem idcirco saepe et improviso percontemur et in diaeta minore circumscriptum ac clam observatum superabimus.

Denique causas occasionales cum propria dolorum indole cognita diligentissime comparare debemus. Sic Galenus colicam simulatam viri intellexit, qui civium concioni interesse nolens, quamvis meticulosus, fomenta tamen a Galeno praecepta minime adhibebat, neque alia medicamina rogabat, quae haud dubie petiisset, si revera doluisset.

2.

Dolores artuum rheumatici et arthritici

sunt affectiones morbosae, quae saepissime praetexuntur, et interdum difficillime deprehenduntur. Saltem in hoc simulationis genere difficillimum est et prae ceteris arduum, fraudatorem certo convincere. Interdum accidit, ut dolorem verum non cognoscamus, simulatum contra habeamus verum, quoniam nonnulli medici observaverunt, dolores vehementiores adfuisse aliis phaenomenis absentibus. Dolores rheumatici et arthritici acuti faciles quidem sunt cognitu, querelis autem de chroni-

cis extremitatum doloribus patientia medicorum maxime defatigatur.

In hoc statu chronico membrum affectum diligentissime perscrutemus et cum altera parte integra comparemus, necesse est; neque minus musculorum conditionem membri laborantis ejusque nutritionis statum indagemus et exacerbationem aut remissionem dolorum, sicut omnem commutationem a tempestate dependentem accuratissime observemus. Denique effectus remediorum fortiorum derivantium, ut rubefacientium et vesicantium, non praetermittamus. Ipse ejusmodi impostores ad veritatem interdum perduxi sinapismis fortioribus iterum iterumque repetitis, vel ictu electrico pariter atque diaeta minima adhibita.

Sic Frenzel ad fraudes enudandas in nosocomio militari Dresdensi unguentum ex hydrargyro muriatico corrosivo, butyro antimonii et axungia paratum saepius commode adhibuit. Interdum dijudicatu difficillimis moxam et ipsum cauterium, remedia, quae contra ejusmodi mala inveterata laudantur, adhibeamus, quibus quidem remediis derivantibus simulatores plerique brevi tempore denudabuntur, quamquam exemplis simulationis astutissimae satis superque probatum est, et pertinaces deceptores et homines nequam in malis artibus exercitatos consilium suum persecuturos derivatoria atque summorum dolorum vehementiam constantissime sustinuisse.

Praeterea prospiciendum est, ne astutissimi simulatores per longius temporis spatium conclave, ne lectum quidem relinquant, et medicaminibus pessimo sapore ingratis, irritamentis quoque supra enumeratis defatigentur.

Porro medicus in casibus maxime dubiis summa prudentia utatur, necesse est, ne cui aegro injuriam inferat, quapropter etiam humanitatis leges sequatur!

Impostores plerumque horis matutinis et vespertinis, quibus aegri in nosocomiis visitari solent, dolores vehementiores simulant, reliquo diei tempore, quo minus observatos sese putant, fraudis immemores cum sociis ludos jocosque agunt; porro paene quotidie tempestatis vicissitudines minime respicientes, pari modo eadem conqueruntur, etiamsi remedia efficacissima adhibita sint, et saepissime sibi repugnant querelasque alta voce quam maxime exclamant.

Egomet ipse aliquoties observavi, simulatores ejusmodi medicis praesentibus semper conquestos; absentibus autem, credentes, se non observatos, pedibus vel manibus validissime usos esse.

Quae cum ita sint, medicus commilitonibus aegrorum vel custodibus fide dignis et peritis, neque vero inhumanis, invidis et improbis confidat, opus est. Consentaneum enim ubique erit, tales simulatores clandestine observare, praecipue eo tempore, quo animi quodam affectu vehementiore, e. g. horrore etc., percutiuntur, quo commoti interdum artuum dolores obliti sanorum instar iis sine ullo impedimento utuntur.

Ad qualem pertinaciae gradum impostores interdum ascenderint, exemplo, quod Lentin [1]) refert, illustrissimo affirmatum videmus. Etenim mulier Luneburgensis vehementissimos carcinomatis occulti dolores in mamma sinistra simulabat, eo consilio, ut aliorum beneficiis adjuta commodissimam degeret vitam; etiam atque etiam rogans, ut mamma exsecaretur. Vulnere sanato mulier a medicis iterum efflagitabat, ut alteram mammam, in qua etiam dolores simulare coepit, resecarent, quam exstirpationem levis quidam chirurgus, Lentino inscio,

1) Ejusd. Beiträge zur ausübenden Arzneiwissenschaft. 1s Heft. 358.

perfecit. Tandem mulier eo progressa est impudentiae, ut stipendiorum accipiendorum cupiditate ducta, amputationem manus dextrae postularet, cujus digitos vinculis volae illigatis eo consilio intro coegerat, ut quasi contracti immobilesque redderentur. Lentin autem, fraude sagaciter perspecta, mulierem ergastulo inclusam ad labores cogi jussit.

5

De coxalgia simulata et claudicatione

idem fere dici potest. Praeterea quoad dolores nervosos istos, quos ischiadicos dicere solemus, praesertim eorum decursum vel in anteriore vel in posteriore femoris superficie fere definitum, et, omnibus inflammationis phaenomenis deficientibus, rationem intermittentem, aliaque signa dolorum nervorum accurate perscrutemur, et inquiramus, num simulantes in querelis saepius sibi repugnent.

In claudicatione simulata maxime necesse est, utrumque femur et crus accuratissime diversis temporibus, utpote in diversa corporis positione perscrutemur, et musculos, pariter atque ambitum et longitudinem utriusque femoris, natium formam rotundam normae convenientem, plicam natium, trochanteres, genua, condylos quoque crurum diligentissime inter se comparemus, ne, coxitide incipiente neglecta, aegrotum injuria vel adeo noxa afficiamus. Porro causas occasionales e symptomatibus praesentibus et antecedentibus dijudicemus, num vis nocens externa, e. g. ictus vel delapsus, praecesserit. Tales simulantes saepissime etiam improvise et clandestine observandi sunt; verum etiam status morbi ipsius merus e remediis adhibitis externis internisque elucebit.

Isfordink [1]) duo ostendit exempla, fraudem drastico medicamine simulantibus brevi tempore ante cubitum clam dato se detexisse, dum per custodem fide dignum clandestine observabat, simulatores effectus celerrimi causa claudicationem oblitos esse.

Marschall fortissimos corporis motus currendi ad fraudem deprehendendam maxime laudat, ita ut simulans utroque brachio a duobus viris ductus, quorum vices alii suscipiant et quibus alii deinceps succedant, celerrime ambulare vel decurrere cogatur, quam diu medicus praesens necessarium esse putaverit. Marschall persuasus est, paucissimos simulatores hoc remedium diu sustinere.

---

1) Loc. laud. Pag. 41.

XI.

Nonnulli morbi pectoris abdominisque chronici simulati et ficti

aliique cum his connexi cognitu et deprehensu difficiliores sunt, quam affectiones harum partium febriles simulatae. Patientia medicorum hac simulationis ratione facillime defatigari solet, praesertim, cum impostor in simulatione morbi, quo neutiquam laborat, vel in latente obstinatissimus est, quod quidem in ejusmodi malis saepius observatur.

Huc prae ceteris pertinent morbi pectoris diversi generis, ut debilitas organorum respirationis, tussis chronica, asthmata et status phthisicus, palpitatio cordis, porro morbi abdominales chronici diversi, e. g. debilitas concoctionis et gastricismus, odor ex ore et e ventriculo foetidus, appetitus depravatus, physconia hepatis, icterus, haemorrhoides, lithiasis vel adeo status cachecticus, ut scorbutus, scrophulae aliique ejus generis morbi, qui ab impostoribus callidissimis interdum ficti et simulati sunt.

1.

Diversorum pectoris chronicorum malorum,

quae jam enumeravi, simulatio quamvis in fictione tussis, asthmatum etc., vel adeo palpitationis

cordis maxime adauctae cernatur, symptomatibus tamen singulis investigatis et remediis adhibitis deprehendi potest. Quo difficilior hujus simulationis cognitio et nudatio videtur et revera est, eo accuratiorem et diligentiorem attentionem ac curam medicus perscrutans in has querelas saepissime occurentes et fictu facillimas convertere debet.

Prae omnibus perscrutatio diligentissima totius thoracis dorsique superioris, respirationis ipsius, cordis et arteriarum pulsus, expectoratorum sputorum, si qua sunt, disquisitio, utpote accurata totius corporis inspectio, praesertim, quomodo alatur, plurimum valet ad veritatem aperiendam.

Aegri, qui morbis pectoris chronicis revera laborant vel dispositionem ad phthisin prae se ferunt, plerumque his phaenomenis cognoscentur: Forma corporis sunt graciliori, systemate ossium et musculorum debiliori, praecipue ossium longiorum ac musculorum flexorum et extensorum, praediti sunt, cute magis pallida, molliori et tenuiori, genis saepius rubicundis et rubore quasi circumscriptis, temperamento excitatu faciliore et animo facile indignabundo.

Praeterea investigatione morbi accurate instituta causas occasionales varias, dispositionem hereditariam et vitam anteactam exquirere debemus, habitum vero phthisicum neutiquam praetermittere, quippe qui ex habitu totius corporis, quem ex parte antea commemoravimus peculiarem, i. e. ex architectura hectico-phthisica declarabitur, et insuper formatione thoracis perversa, tota regione sternali magis plana, utpote scapulis alarum instar a dorso exstantibus, majori totius corporis, praesertim thoracis, macie, ita ut costae ad orbiculorum modum circa thoracem promineant, interstitia autem, in quibus musculi intercostales jacent, collapsa appareant,

denique collo longiori, macilento, antrorsum inclinante, processibus vertebrarum spinosis justo magis prominentibus, aliisque jam supra commemoratis phaenomenis.

Praeterea diligens ejusmodi simulatoris observatio in nosocomio diversis temporibus, praesertim, cum se solum esse putat, in dies repetenda est.

Status si talis est, ut suspicio non omnino patefiat, et deceptor, nulla dispositione observata, omnibus morborum pectoris phaenomenis peculiaribus et causis deficientibus, non facile coargui possit, tentamina ad veritatem detegendam remediis minime noxiis cautissima facienda sunt, quibus morbus pectoris, si revera adsit major pejorque evadat, e. g. diaeta magis nutriente carnosa, potionibus magis roborantibus, ut vino aliisque spirituosis vel ipsis medicaminibus internis magis irritantibus; quibus adhibitis verum interdum elucebit.

Neque minus simulatoris obstinatio medicaminibus mali odoris et saporis, praecipue in forma pulveris sumendis, sicut derivantibus externis, v. c. rubefacientibus, vesicantibus aliisque haud inepte nec sine prospero eventu defatigabitur.

Interdum, ut in aliis morbis fictis, cognitio veritatis inde elucebit, quod medicamina externa internaque aptissime adhibita effectu carent; praesertim cum nobis persuasum est, diaetam et regimen accomodatum, aegrique statum talem esse, ut remediis adhibitis ad sanitatis integritatem reduci queat.

Quid quod nonnulli medici eo progrediuntur, ut simulata phthiseos phaenomena, nimirum sputa continua et tussin vehementiorem cum statu pulmonum pituitoso conjuncta, se observasse dicant, quae quidem caricarum abusu orta esse contendunt.

At in memoriam revocasse sufficiet, morbum non solum ex unico symptomate, sed e pluribus etiam phaenomenis essentialibus, sicuti e causis antecedentibus et ex toto morbi decursu cognoscendum esse, ita ut statum phthisicum non tam e tussi et e sputis largioribus solis, quam ex tota pulmonum conditione ad respirationem plus minusve apta dijudicemus.

Itaque maxime opus est, investigatis morbis primariis et iis, qui jam dudum antecesserunt, praesertim autem inflammationibus pulmonum, catarrho pulmonali chronico etc., sicuti dispositione hereditaria indagata, indolem morbi ipsius ex omni aegrotationis statu ac ratione, e macie corporis aliisque symptomatibus chronicis, e respiratione mala et impedita, neque minus e febre cum pectoris affectu conjuncta colligere.

Verumtamen aliquoties deceptori continget, ut, medico decepto, dimissionem e militia adipiscatur vel aliud consilium sibi propositum assequatur, praesertim, cum in tempus aliquod in commeatum emissus fit redux, quae fraus in nosocomio non facile continuatur, quoniam status hecticus verus brevi cognosci potest.

2.

Palpitatio cordis maxime adaucta

ubi in suspicionem vocatur, ita quidem, ut vitium cordis organicum vel dilatatio vasorum maximorum aneurismatica nulla adsit, maxime opus erit, pulsum arteriarum in compluribus corporis partibus, v. c. in artibrachio et in arteria brachiali, carotide, etiam crurali, utpote in varia corporis positione et diversis temporibus accuratissime et quam diutissime, praecipue vero singulos ictus eorumque celeritatem attingi, denique ictus arteriarum

cum palpitatione cordis quoad quantitatem et qualitatem diligentius comparari et angorem proprium, sicuti respirationem perversam subtilius observari.

Praecipue autem attendendum est, ne forte vasorum irritationes, ideoque cordis palpitatio adaucta provocentur spirituosis aliisque remediis irritantibus, e. g. radice hellebori albi, emeticis etc., aut compressione in tovea axillari et in carotide adhibita, fasciis collo vel brachio arcte adstrictis, vel tunicula etiam totum thoracem firmissime includente, quibus rebus omnibus sanguinis circulatio perturbatur.

Verum etiam non est praetermittendum, palpitationem cordis vehementioribus animi affectibus et pathematibus, jam sola totius corporis perscrutatione non parum adaugeri.

Marschall commemorat, annis 1821 et 1822 palpitationem cordis irregularem, arte provocatam, in exercitu Anglorum quasi epidemicam esse observatam, cum permulti milites usu pulveris radicis hellebori albi interno eam provocarent; quae res tandem a viro, qui anxietates et palpitationem anomalam usu hujus pulveris exortam sustinere non potuerit, plane prodita sit.

3.

Morbi abdominis chronici ficti et simulati

eandam fere investigationis rationem postulant.

Quae mala apud eos homines, qui vitam tranquillam et sedentem degentes mentis potius quam corporis labores agunt, saepius observantur, quam in juvenibus ro-

bustioribus, qui sustinendis corporis laboribus duritiem adepti ab aegra ista mollitie ac virium debilitate longissime absunt, inter quorum numerum prae ceteris milites et juvenes militiae conscriptos habendos esse, patet. Nihilo secius haec etiam mala interdum praetexta et ficta animadversa sunt, etsi fraus ista diu obtecta esse non potest.

Marschall, ut exemplo utar, enarrat, ducem militum Anglorum mala abdominis diversa, quae in intumescentia et physconia totius regionis hepaticae distincta et in vomitu nutrimentorum, quibus paulo ante fructus fuerit, cernerentur, simillime et aptissime imitari potuisse, vel eo progressum esse simulationis, ut alios quoque hanc artem doceret.

Pari modo impostores inveniuntur, qui, maxima aëris copia glutita, intumescentiam abdominis, praecipue regionis superioris efficere studeant.

In quibus malis fictis accurata perscrutatio omnium abdominis regionum in variis corporis positionibus, inter inspirationem profundiorem tussimque excitatam, ante et post coenam instituenda est; insuper fauces, lingua, appetitus ciborum, nutritio corporis et color peculiaris, tam cutis universalis, quam faciei, aliaeque ejusmodi conditiones maxime inquirendae sunt; neque minus in hepatis affectionibus et in ictero ficto sudores, alvi urinaeque excretiones saepe inspiciendae sunt, utpote color totius corporis flavus et angulorum oris et utriusque bulbi membranae albugineae flavens signum hujus mali essentiale habendus est. Quibus diligentissime investigatis, fraus brevi tempore nudabitur; nec minoris est momenti observatio diaetae et totius regiminis saepius repetita, ne simulanti alimenta ab aliis hominibus clam suppeditentur.

4.

In statu haemorrhoidali,

si fictus putatur, investigatio totius morbi requiritur, praesertim cum impostores versuti, revera non affecti, dolores tamen in regione sacrali et lumbali adesse haemorrhoidales indicant, quo praetextu ad consilia quaedam assequenda uti solent. Accurata inspectio ani et totius regionis vicinae, num ibi exulceratio rebus corrosivis fortasse adhibitis provocata sit, utpote exploratio interna orificii ani et inferioris intestini recti digito oleo uncto instituenda in haemorrhoidibus fictis maxime necessaria erit, quoniam, testibus nonnullis medicis, deceptores minimas vesiculas murum, rattorum vel piscium farctas et sanguine rubefactas in intestinum rectum immiserunt ad varices haemorrhoidales simulandas. Sed medicus prudens, solo adspectu minime contentus, facere non poterit, quin ad fraudem illico aperiendam exploratione manuali ipsa utatur vel fraude nondum detecta ejusmodi varices statim cultro insecet.

In simulatione sedum cruentarum accurate inspiciendum est, num rubefacientibus vegetabilibus vel mineralibus vel animalium sanguine tinctae sint.

5.

Lithiasin,

quae rarissime tantum simulatur, Krügelstein aliique exponunt, a nonnullis mulieribus feliciter esse fictam. Exploratio et urethrae et vesicae urinariae accurata, quae catheteris ope instituitur, utpote perscrutatio ceterorum lithiasis signorum essentialium, diligentissima inspectio calculorum ejectorum et, ubi status gravioris est momenti, eorum analysis chemica medico clarissi-

mam lucem afferet. Quae simulatio vix per longum tempus, observatione accurata in nosocomiis instituta, continuari potest.

Ea fraudis ratio, qua deceptores lapillos vel arenam in redditam urinam clam injiciant, brevi enudabitur.

6.

Simulatio status cachectici et pallidi faciei coloris.

Haud scio, an non minus difficiles detectu sint status cachectici simulati, quoniam signa universalia maciei corporis et lapsus virium, habitus generalis morbidus et facies peculiaris pallida ac collapsa, oculi profundiores, pulsus arteriarum et palpitatio cordis debilior, musculorum conditio laxa et nutritio impedita laesaque, utpote perscrutatio decursus hujus morbi eorumque, qui antecesserint, et causarum occasionalium nexus totam morbi indolem et imaginem magis perspicuam exhibent, quam ut medicus diu in dubio esse possit. Nihilo vero secius talia symptomata a deceptoribus ficta et speciem habitus corporis morbosam cum colore faciei pallidiore vaporibus sulphuris vel cari carvi vel unguentis variis pulveribusque adhibitis provocatam esse, nonnulli medici exponunt [1]). Interdum facies pallida, quasi febrilis et oedematosa consulto efficitur, dum homines fallaces per plures dies omni fere quiete et somno sese abstinent, vel dum vino, spiritu frumenti et sicera nautica, vel rebus variis, quae vomitum, nauseam fastidiumque excitant, aliisque utuntur.

Quae vero phaenomena neutiquam a vitiis organo-

---

1) Henke, Zeitschrift für Staatsarzneikunde. 7. Band. Pag. 223.

rum internis dependere putamus, quia brevi gradatim evanescentes abeunt, et quia sine dubio regimine apto vel balneorum usu plane removeri possunt. Sic, ut ejusmodi exemplo utar, hominem aliquem malignum abusu spirituosorum, praecipue vini et sicerae nauticae, et maxime quaque somni abstinentia colorem faciei morbidum protulisse, scio.

7.

Icterum

simulaturi cutem rebus flavis tingere solent, e. c. infuso curcumae, tinctura rhei aliisque. Sed medicus hac fraudis ratione nullo modo decipi poterit, observans quippe, num alae narium et anguli oris flavi sint, num albuginea utriusque bulbi etiam flaveat, num urina biliosa et fusco-viridis sit, num sedes pallidae argillae instar appareant; verumtamen deceptores abusu acidi muriatici interno albidam sedum rationem sibi contraxisse dicuntur. Icterus autem simulatus et observatione accuratissima et lotionibus usuque balneorum universalium brevi detegetur.

8.

Odor cutis foetidus

ab impostoribus non minus raro simulatur, dum quasi sordibus obruti et circumfusi vivunt, vel dum foveas axillares oleo animali Dippelii vel oleo cornu cervi foetido, asa foetida, caseo vetustissimo vel piscibus putrescentibus inungunt, quin etiam particulas asae foetidae vel radiculas allii bulbosas in intestinum rectum illatas nonnullos dies ibi retinent. Accurata vero totius corporis inspectio, praesertim ani et intestini recti infe-

rioris exploratio, sicuti fovearum axillarium, regionum pone aures et meatus auditorii externi, utriusque palmae et plantae eo magis necessaria est, quo minus credibile est, eos, quos perscrutamur, in sordibus vivere solitos esse. Quae res, qualis sit, e balneorum atque lotionum usu cognoscetur.

9.

Halitum ex ore foetidum

homines versuti imitari studuerunt immunditia cavitatis oris generatim, sicuti abusu asae foetidae, ceparum, allii, vel similibus rebus in ore ipso absconditis. Exploratione totius oris cavitatis, prae ceteris regionum sub lingua, sicuti clandestina observatione simulator brevi enudabitur. Conditio etiam gingivae et dentium saepe observanda est, quia deceptores haud raro, interstitiis cera expletis, dentes rebus immundis male olentibus vel pigmento quodam fastidioso inficiunt, ut tota oris anterior pars faciem morbosam scorbuticamque prae se ferat.

XII.

Simulatio morborum externorum rebus noxiis evocatorum.

Morbi ficti, qui in eo cernuntur, quod deceptores inflammationes externas, ulcera, pustulas rebus externe adhibitis, ideoque morbos, quos nominavimus externos, efficiunt, vel dicentes, fracturas antecessisse, contracturas diversas aliasque deformitates praetexunt, observatione accurata minus difficiles detectu sunt, quam morbi interni, quoniam in illis diligentissimam partis morbo affectae perscrutationem instituere licet.

Huc referuntur:

Ulcera in diversis corporis partibus, praecipue vero in extremitatibus inferioribus, fistulae in regione ani, ozaena, utpote exanthemata pustulosa et crustacea, erysipelas, porro contracturae aliaeque deformitates, et alii morbi externi, qui irritamentis evocantur vel orti continuantur.

1.

In ejusmodi aegris aut deceptoribus imprimis perscrutandum est, qualis sit universalis corporis constitutio, quam diu malum duraverit, e quibus causis sit ortum, et qui morbi antecesserint.

Porro observandus est situs statusque ulceris, fundi conditio, forma et ratio marginum, utpote partes vicinae; margines enim ulcerum malis artibus excitatorum minus duri et callosi sunt, et tota superficies minus visu turpis, quam in ulceribus veris observatur. Neque minoris est momenti, excretionem ulceribus ipsam, immunditiem totius extremitatis vel curam hucusque continuatam, remedia externa et interna inspicere, vel videre, num forte membrum vestimento adstricto, an fasciis firmissime applicatis nimis comprimatur, ideoque sanguinis circulatio valde impediatur.

Porro quibus negotiis simulator occupatus fuerit vel adhuc occupetur, quale vitae genus egerit, qui sint ejus mores ac consuetudines, accurate est quaerendum. Qua quidem perscrutatione totius morbi et membri morbo affecti, praecipue vero ulceris diligentissime instituta et habita medicaminum externorum ratione, medicus de vera aut praetexta morbi indole certior fiet; sin minus, indicia et testimonia hominum fide dignorum requiret.

Deceptores, praecipue humilioribus parentibus nati, ad ulcera sibi inferenda variis rebus externis, e. g. acribus et corrosivis saepius utuntur; initio rubefacientia vel vesicantia adhibere solent, ut emplastrum cantharidum, corticem mezerei, sinapismos etc.; postea ortam exinde excoriationem maxime irritant comburendo et pungendo, arena fricando vel comprimendo vel nummo cupri imponendo, ut exulcerationis superficiem in statu irritato et inflammatorio retineant, vel variis rebus noxiis, quae male olent, ulcus simul irritant et granulationem incipientem corrodunt, iterum iterumque imponendis.

Hoc consilio, ut exemplis utar, folia recens viridia acria, eorumque succos recenter expressos adhibent, ut

sedi acris, nonnullarum euphorbii specierum, allii, corticis et herbae Daphnes mezerei; vel etiam pulveres, emplastra, unguenta etc., ut pulverem cantharidum earumque tincturam, hydrargyrum muriaticum corrosivum et oxydatum rubrum, solutiones arsenici et cupri, butyrum antimonii, lapidem infernalem et causticum purum, calcem vivam, urinam etiam, vel succum nicotianae e fistulis tractum ejusque cinerem, vel nitrum, ammonium causticum ejusque liquorem, vel acida mineralia magis minusve diluta, vel spirituosa, ut spiritum frumenti et vini, acetum vini concentratum aliaque ejus generis remedia.

Quin etiam reperiuntur, qui ulcera his rebus effecta, ut speciem sordidam, immundam et turpem et odorem fastidiosum accipiant, mixtionibus diversis e sapone, caseo vetustissimo, vitello ovi putrido, carbone subereo, fuligine vel ferrugine et tinctura cantharidum illinant, quam massam linteolae applicatam in partibus ulceris vicinis arcte illigare solent, quo fit, ut margines ulceris non solum denuo inflammentur, sed etiam ulcus ipsum conditionem fastidiosam et quasi malignam induat.

Nempe id agunt ejusmodi impostores, ut sanguinis cruore illito, qui adhaereat et adarescat, ulcus ejusque partes vicinas specie fastidiosa et sordida afficiant et imbuant.

Sic Krügelstein inter alia enarrat, mulierem ulcus quasi carcinomatosum finxisse ranarum membranis aliisque rebus sordidis applicatis, quae fraus perscrutatione accurata illico enudata fuerit.

Si ulcera cantharidibus finguntur, plerumque excretio magis aucta, minime vero foetida observatur; et si pulvis cantharidum vel emplastrum adhibitum est,

pulvisculi microscopio conspiciuntur, vel ipsa ulceris forma ad regulam quandam ac normam accurate circumscripta, e. c. quadrangula, suspicionem emplastri impositi excitat. Arsenico ad ulcus provocandum adhibito, inflammatio vehementissima loci affecti ejusque partium vicinarum cum tumore maxime oedematoso conjuncta suspicionem fraudis firmiorem reddit, quae augetur, ubi versutissimi anxietate et inquietudine, quae hujus remedii usum sequi solent, maxime cruciantur, qua compressi interdum fraudationem sponte indicant.

Praeterea si tota corporis constitutio robusta et firma est et omnibus dyscrasiae indiciis caret, ulcera ficta esse, ubicunque obveniant, maxima erit suspicio, praesertim cum munditie maxima et cura locali pariter atque generali aptissime adhibita exulcerationes minime evanescant, sed sine ulla causa propria antecedente majora et maligniora evadant vel in eadem conditione permaneant.

Plerumque ejusmodi ulcera, quae ab aëre tueamur, simplice vinctura obtegimus et generali munditiei, regimini et diaetae aptissimae prospicimus; qua ratione ulcera, dyscrasia graviore absente, brevi evanescunt. Ubi suspicione mali doli et clandestinarum machinationum tenemur, vinctura magis artificiosa imponenda est, quam etiam obsignandam curabimus, ne fraudator eam possit detrahere et imitari; quin etiam, suspicione orta, simulatorem ulcus acubus per vincturam saepius pungere, totum membrum in cista e corco firmiore vel ligno facta includendum et asservandum est, quod Angli commendaverunt. Ceterum talis simulator accuratissime observandus et ad fraudem confitendam stimulandus est, ita ut usu remediorum male olentium et sapientium, fame et decubatione continua defatigetur, vel verbis minacibus, operatione maxime dolente ulcus esse removendum, timor ei injiciendus est.

Prae ceteris remedia prius commemorata et adulcus sanandum et ad fraudem detegendam apta adhibeantur. Medici forenses et militares, ut Henke, Metzger, Mende, Krügelstein, Isfordink, Speyer, Schmetzer aliique multa de ulceribus fictis verba fecerunt et plura ejusmodi exempla retulerunt, quae, ne sim longus, silentio praetermittam.

Sed ad quem obstinationis gradum impostores interdum progrediantur et quam pertinaciter in simulatione perseverent, exemplo elucet, quod Hutchinson, medicus Anglorum, exhibet: Simulatorem, cujus maxima admiratione afficimur, ipsam cruris amputationem fortiter sustinuisse et tum demum fraudationem esse confessum, nummo cupri in musculis invento, quem ante nonnullos menses surae eo consilio inseruerat, ut, ulcere excitato, militiam subterfugeret.

2.

Pari modo agimus idemque praecipimus in simulationibus erysipelatum, inflammationum et excoriationum, quae evocatae sunt frictione, plantis acribus impositis, vel mineralibus acidis et corrosivis adhibitis vel solis radiis vel apium vesparumque ictu etc. prolatae.

3.

Latiores etiam pustulae interdum artificiose excicantur erucis in parte quodam corporis nuda repentibus vel urticatione facta, vel illata tinctura et succo euphorbiae recente. Exanthemata pustulosa, nonnullis medicis auctoribus, quae interdum speciem habent fastidiosam, herpeti crustaceo non dissimilia, impostores imitari studuerunt. E decursu autem exanthematis her-

petici proprio, forma peculiari et specie pustularum, quae sociarum instar conjunctae sunt, et quarum mediae quaeque evanescere incipiunt, aliis in marginibus sensim sensimque proserpentibus (unde etiam herpes nomen trahit) et e pluribus symptomatibus verum brevi elucebit, praesertim, cum simulans in nosocomio versari coactus est.

Nonnulli medici forenses dicunt, exanthema quasi scabiosum evocari posse usu largiore succi betularum recentis, cerevisia alba recentiore et frictionibus e massa pulvere corticis mezerei et liquore ammonii caustici parata; diuturno vero unguenti tartari stibiati usu pustulas oriri vaccinis non dissimiles, inter omnes constat.

4.

Tineam capitis

etiam abusu acidi muriatici externo provocatam esse, nonnulli medici observarunt; sed accurata perscrutatio et deceptoris ipsius et partium vicinarum et vestium brevi ostendet, num pustulae crescant et novae iterum proserpant, an sponte evanescant.

5.

Contracturae aliique morbi articulorum.

Nonnulli, qui fracturis ossium antea laboraverunt, etiamsi optima cura ad sanitatem reducti sint, interdum doloribus artuum, impedita movendi facultate sese cruciari, queruntur. Quod attinet ad dolores istos, eos fracturis praecedentibus ortos, hominibus constitutione

nervoso-debiliore praeditis vel ad dolores artuum nervosos et rheumatico-arthriticos dispositis, nonnunquam relinqui nemo negabit; querelis, quorum os fractum fuisse, nobis persuasum est, fidem non denegabimus, quippe cum tota membri antea fracti conditione debiliore et statu musculorum laxiore confirmemur.

Rigoris articulorum, contracturae vel adeo anchylosis simulationem praesertim in articulis genuum, cubitorum, humerorum vel torculari applicando cognoscemus, quo musculorum actio voluntati subditorum infringatur et tollatur, vel gravioribus ponderibus membro impendendis, vel articulorum flexione instituenda perspiciemus.

Cujusmodi exemplum Marschall enarrat, militem, qui contracturam omnium manus dextrae digitorum fingebat et in nosocomio aeger habebatur, hoc experimento a praefecto copiarum instituto brevi tempore sanatum esse; praefectus enim jussit, inclusum simulatorem, brachio salvo corpori arcte alligato, alimenta ab alto conclavis cymatio manu quasi contracta repetere, quod quidem fame coactus revera fecit.

Ad contracturae genuum simulationem detegendam nonnulli machinam quandam commendant, quae vulgo vocatur Piëdestal, in qua pes sanus ponatur. Aliae deformitates fictae, ut humeri et coxae altiores, inclinationes et spinae et costarum accuratissima perscrutatione in diversis corporis positionibus, dum vel utrumque trunci et extremitatum latus diligenter emetimur, vel dum corpus, brachiis dependentibus aut antrorsum et in sublime aequaliter extensis, vario modo movemus, optime et negotio faciliore exquirentur.

Horum morborum simulationis Marschall aliique

plura exempla referunt, narrantes quippe, milites aliquos versutissimos tam similiter finxisse humeros altiores vel spinarum curvaturas, ut fraus diuturna demum observatione enudari potuerit.

XIII.

Simulatio et fictio morborum, qui in excretionibus cernuntur.

Morbi in organis excretoriis obvenientes pro qualitate et quantitate varia ratione et interdum maxime miranda simulati et ficti sunt, ita ut homines versutissimi, se sacros vel incantatos esse, praedicantes, e diversis corporis cavis res maxime varias et prodigiosas dejecerint; alii contra impostores fraudationis diu et feliciter continuatae eo progressi sunt, ut rebus praeternaturalibus, e. g. acubus, quae e suis corporibus exsecabantur, medicos sagaces deciperent. Quid quod Judaea [1]) fuit, quae ossa et anatum carnes e vagina proferebat; cui cum medici fidem haberent, audacia mulieris eo processit, ut carnes adeo assatas e vagina protraheret. Sed longum est, ejusmodi narrationes depromere, quippe quas Metzger, Henke, Krügelstein aliique medici forenses celeberrimi copiosas attulerunt. Morbi excretionum simulati, qui interdum occurrere solent, et quorum observandorum occasio mihi nonnunquam oblata est, nominatim hi sunt: Haemoptysis et vomitus cruentus, diarrhoea et vomitus ipse, incontinentia urinae et difficultas, denique otorrhoea et profusior pedum sudor.

---

1) Pyl's Repertorium. 1r Bd. pag. 190.

1.

Haemoptysin,

vulgo sanguinis ejectionem nominatam, homines versuti sanguine e gingiva exsucto vel e dentibus cariosis vel ex eorum alveolis apertis vel e vulnerationibus genarum vel e lingua laesa et palato vulnerato, quin etiam sanguine animalium coagulato, quem sub lingua abscondunt, vel rebus in ore celatis, quae rubent et salviam rubefaciunt, imitari conati sunt.

Suspicione capta, sanguinem in discum purum et album vel in linteolam mundissimam albamque exspui, medicus jubeat; quo facto materiei salivam rubefacientis indolem facile cognoscere et detegere poterit.

Sed in haemoptysi vera persuasum nobis habemus, statum pulmonum inflammatorium vel antecessisse vel hoc ipso tempore adesse, cui affectioni organorum respirationis inflammatoriae haemoptysis proprium est symptoma. Sanguis igitur, vera haemoptysi exsputus, cum spuma pituitaque bronchiali mixtus observabitur, et totius morbi status pulmonum excitatione et motibus febrilibus conjunctus apparebit, quam conditionem alia quoque symptomata pathognomonica comitantur, ut pulsus acceleratus, duriusculus, respiratio difficilis, tussis, quae, inspiratione profundiore illico commota, semper sanguinis ejectioni spumae cruentae instar adjuncta est; pulsus etiam, sanguine e venis detracto vel paroxysmis haemoptycis antecedentibus, non tantopere hebescet, ut duriusculus et acceleratus omnino non observetur.

E corporis habitu et adspectu, ex universa aegri constitutione, e respirationis pulsuumque phaenomenis et ex universa vasorum irritatione, sicuti ex indiciis et momentis aetiologicis diagnosis vera brevi tempore re-

petetur; quibus phaenomenis gravissimis deficientibus, suspicione firmissima hausta, fraus in aperto ponetur.

Namque facies ejus, qui haemoptysi graviore laborat, pallida est et collapsa, oculi sunt languidi et paene fracti, vultus inquietem depingit, labia tremunt, irritatio vasorum major pariter atque pulsus duriusculus, sed debilior et vix attingendus observatur, et omnia phaenomena, quae debilitatem universalem necessario sequi solent, animadvertuntur. Quibus phaenomenis occurrentibus medico commissae fraudationis suspicio vix in mentem veniet.

Ubi autem perscrutandus non inquietus, ubi pulsus normalis reperitur, et respiratio singulari ista doloris ostentatione difficilior redditur, et ubi, quae haemoptysi verae non consentiunt, complura observantur, pariter atque ubi, laboribus corporis et occupationibus a simulatore factis, quas status symptomatum auctior et sputa cruenta certo sequerentur, sanguinis ejectio nulla oritur, accuratissima simulantis observatio, praecipue clandestina omitti non debet, ita ut diligenti cura omnis quaeque occasio, qua simulans animalium cruorem vel res rubefacientes sibi comparare possit, caute detrahatur. Hinc etiam totam oris cavitatem diligentissime explorandam esse, per se patet. Krügelsteinio auctore haemoptysis indicata in firmissimam suspicionem vocatur, ubi singulis solummodo paroxymis continetur et horis plerumque nocturnis aliove tempore oritur, quo medicum esse absentem, simulatori compertum est.

2.

Vomitus cruentus

difficilior dijudicatu est, quoniam interdum sunt, qui magnam cruoris animalis copiam absorptam, postea motu

antiperistaltico, titillatione faucium facta evomant. Itaque percontatio omnium symptomatum peculiarium hic potissimum necessaria est; observandus est status abdominalis venosus, morbi lienis et hepatis, stases et obstructio, utpote suppressio haemorrhoidum cruentarum; neque ultimo loco habenda erit accuratissima omnium rerum vicinarum, linteorum et suppellectilium inspectio.

3.

Diarrhoea

interdum ab impostoribus medicaminum laxantium vel adeo drasticorum ope ficta est, qui, temerario horum usu debilitati et affecti, consilium sibi propositum hac ratione consequi audent. Sed strenua vigilantia et diligens morum, vivendi rationis et diaetae usitatae observatio veritatem brevi in lucem proferent.

Marschall, nonnullos milites acetum vini cum cortice subereo exsiccato vel solutionem ferri sulphurici, vulgo atramentum sutrinum vocatum, interdum absorpsisse, commemorat, ut diarrhoeam dysentericam excrementis coloratis conjunctam inde sibi contraherent.

Si quis forte, diarrhoeam propriam adesse, crediderit, ad veritatem detegendam inspectio eorum, quae excernuntur, pariter atque linteorum et indusiorum satis superque sufficiet.

4.

De vomitu simulato fictoque,

quem non minus accurate inspiciendum esse arbitror, idem statuitur, quoniam nonulli homines versuti sola fau-

cium titillatione, digitis aliisque rebus excitata, vel compressione regionis epigastricae, vel etiam aëre imbibendo aut rebus emeticis statim et quasi pro libitu vomiturītiones et vomitum ipsum efficere possunt. Quodsi impostor enarrat, se omnia nutrimenta evomere, inde verum cognosci poterit, quod phaenomena consumtionis universalis et debilitatis corporis brevi oriuntur. Sin minus, non amplius dubitabimus, quin impostor cibis clandestine vescatur nutrientibus.

Sic Meissner [1]) exemplum vomitus simulati edit propter rationem enudandi memoratu dignum. Nimirum mulier quaedam omnes cibos potusque assumtos, vel adeo mirum in modum clysmata omnia eadem conditione, qua paulo ante applicata fuerint, vomitu ejecit, quin vires infirmarentur et corpus marcesceret; quare suspicio simulationis callidissimae, qua medici per aliquod tempus affecti erant, quam maxime increvit. Quae fraus mox detecta est medicis mulieri indicantibus, se ad cognoscendam hujus morbi rationem clysmate versicolore usuros esse, quam ob rem tria diversi coloris clysmata, muliere praesente, parabant, quorum unum, ea absente, applicandum eligebant, observaturi, num hoc etiam clysma eodem colore praeditumvomitu ejiceretur. Mulier autem, doli medicorum capta, hoc clysma, cujus colorem non conspexerat, neutiquam evomuit.

Praeterea non possum non commemorare, tractus intestinorum organis pariter atque statu concoctionis physiologico diligenter observatis, faeces vel ipsa clysmata, nisi in vehementissimo ileo, vomitu non ejici, neque ullo modo dubium esse, quin homines, qui sani et validi omnes cibos potusque et adeo clysmata vomitu reddant, omnino deceptores habendi sint.

---

1) Ejusd. Medicinisch. Lexicon. Pag. 250.

Ceterum homines, ructus strepitumque in tractu intestinorum, quotiescunque vellent, efficere valentes pluries observavi. Sic ebriosus quidam, nunc in instituto delirorum, quod in castello Sonnenstein floret, versans, vitia organica abdominis praetexens, hoc saepius fecit.

Sed ante nonnullos demum menses occasio mihi oblata est, ejusmodi verum aegrum visitandi, qui omnes cibos, adeo nutrimenta mollissima et tenuissima vomitu ejiciens, quippe induratione cardiae ventriculi scirrhosa loborans, in universalem virium collapsum et febrem lentam incidit.

Alios antem vomitum simulantes in nosocomio militari saepius observavi, qui a tali virium collapsu longissime remoti, brevi tempore, fame coacti et observatione diligentissima defatigati, fraudationem deponebant.

5.

Incontinentiae urinae

simulationem, quod malum nulla pudoris habita ratione, saepius fingitur et nonnunquam difficillimum detectu est, aptissime dijudicabimus, si phaenomena huic morbo pecularia, quamvis breve tempus duret, colligimus, quibus deficientibus fraus in aperto habenda est, praesertim cum lectus horis tantum nocturnis foedetur. In vera incontinentia urina solummodo guttatim, neque vero radiis, nec majore copia redditur, praecipue, si vesica urinaria, quae nunquam impleta reperitur, impleri coepit, quod applicatione catheteris satis superque declaratur.

Porro excoriationes circum urethrae orificium et in glandis praeputii, sicuti scroti et utriusque femoris re-

gionibus saepissime apparent, quare urina semper effluente omnes hae partes et vestimenta adjacentia madefiunt; urina dormientis guttatim vel minimis intervallis ejicitur; penis ipse minor, corrugatior est et laxior.

Quibus omnibus in incontinentia simulata deficientibus impostores saepius detegi possunt, ut medicus, oppressurus, impostorem urinam mittere, statim desinere jubeat, quod in vera incontinentia fieri non potest; aut urinae copiam exploraturus catheterem applicet.

Hutchinson [1] aliique medici Anglici suadent, ut simulatores sub horis matutinis, opio clam adhibito, accuratissime observentur, et linteis minime foedatis fraudem detectam putant, quod Speyer dissuadet.

In his rebus dijudicandis magis Speyero assentiam, credens quippe, explorationem repetitam remedium esse maxime idoneum.

Isfordink ejusmodi deceptorem hoc modo nudavit, quod ei, nullo hujus morbi habito respectu, officia vicesque aegrotorum custodis committeret et vas urinam recipiens per plures menses eum continuo gestare juberet, quo factum est, ut molestiae taedio captus, salvum se esse, sponte indicaret. Krügelstein etiam enarrat, Foderé, medicum Franco-gallicum, membra virilia vincturis fasciisque, quas obsignaverit, involvenda curavisse, ut incontinentiam, inter milites quasi epidemicam, illico tolleret.

Ceterum vesicantia perinaeo applicare licet, et ubi fraus non tam aperta est, ut deceptor coargui possit, podex verberibus afficiendus, quod remedium contra hunc morbum optimum esse, deceptori persuademus [2].

1) Irfindink's Handbuch. Pag. 44.
2) Speyer. L. laud. P. 219.

Praeterea socios ejus accuratius explorare juvabiti, num vir incontinentia urinae jam antea laboraverit, nec ne.

6.

Otorrhoea ficta

interdum spongiolis, rebus coloratis et male olentibus, quin etiam foetidis, e. g. melle cum caseo vetusto mixto, aliisque rebus foetidis impletis vel exulceratione vesicatoriis minimis in meatu auditorio antea applicatis excitata efficitur, quae fraudis ratio per longum tempus continuari non potest, siquidem, meatu auditorio externo diligentius explorato, impostorem accuratissime observamus. Ad fraudem detegendam maxime etiam quadrabit, vincturam aptissime claudentem et arctissime inhaerentem, sicuti mitra capitis peculiari tectam toti aurium regioni applicare eamque obsignare.

7.

Profusus pedum sudor

denique, si revera adest, quo juvenis militiae omnino impar redditur, quippe cum liberrimus pedum usus excoriationibus, huic morbo peculiaribus, admodum impediatur; pedum tegumina humida et permadefacta semper invenientur, ipsae soleae calceorum mediae celerius corrumpuntur et quasi putrescunt; pedes nudi odorem peculiarem maxime foetidum exhalant, digiti talem praebent adspectum, qualem manus lotricum, diu in aqua saponacea immersae; plurimorum etiam aegrorum digiti ipsi maxime sensibiles sunt. Hoc vitium, aestate saepius observatum, inde cognoscitur, quod ejusmodi

homines tegumenta forte quotidie mutare coacti sunt, ne odor iste foetidissimus animadvertatur.

Simulatores hunc odorem caseo vetustissimo aliisque rebus male olentibus finxisse dicuntur, quam fraudationem accuratiori quavis observatione brevi detegemus.

XIV.

De tumoribus variis et prolapsibus simulatis et fictis.

Ubi deceptores tumores varii generis, v. c. polypos aurium et narium, emphysemata, tumores quasi hydropicos sub forma hydrocephali externi et hydroceles, hernias et prolapsus, tumores strumarum instar etc. simulant, haud scio, an cognitio et dijudicatio plurimorum ejusmodi morborum non difficillima sit, dummodo accuratissima eorum perscrutatio instituatur, et omnes occasiones et remedia intercipiantur, quibus deceptores tales tumores fingant.

1.

Polypos narium et aurium

deceptores nonnunquam spongiolis, sanguine repletis, aut glandulis animalium recenter mactatorum minoribus imitari solent.

2.

Oedema simulatum

interdum observatur. Nisi oedemata et manuum et pedum hydropis universalis, vel hydrothoracis vel hydro-

pis ascitis symptomata sunt, quod jam ex ipso morbo aperte cognoscetur, vestibus arcte adhaerentibus vel vinculis circa articulos cubiti et genu maxime adstrictis, itaque ratione mechanica, compressione membri superioris, e. g. regionis axillaris vel inguinalis et suralis, aut diuturno rerum externarum usu artificiose elicita esse, statuemus.

3.

De varicibus simulatis,

praecipue extremitatum inferiorum, idem valet.

Diligenti extremitatum investigatione instituta, remotis omnibus vestimentis, colore et ratione cutis, venarum conditione in superficie turgentium etc., num verus sit morbus an simulatus, brevi tempore animadvertemus, eoque certiores erimus, quo diligentius negotia, quae simulator agere solet, et vestes, quibus indutus est, respicimus.

4.

Herniae

ut feliciter simulentur, quin medicus statim detegat, vix accidere videtur, quamvis, ubi relaxatio quaedam integumentorum musculorumque abdominis locum habet, interdum per breve tempus inspiratione forti et diuturna simulari possint; ipsa tamen relaxatio non minus gravis et ardua habetur, quam hernia. Nulla hujus rei habita ratione, hernias nonnunquam fictas esse aëre in telam inguinis cellulosam inspirato, vel altero testiculo ad annullum abdominalem remoto ibique retento [1]), me-

---

1) Speyer. Loc. laud. Pag. 215.

dici observarunt. Verumtamen accurata exploratione brevissimo tempore fraus detegetur, cujus rei Hutchinson aliique nonnulla enarrant exempla.

Ubi deceptores, bubones vel alios glandularum tumores hernias esse, indicent, exploratio diligentissima cum totius abdominis, tum regionis ipsius, in qua herniae creberrime oriri solent, positione praetexentis saepius mutata, instituenda est. Quam ob rem haec potissimum respicienda sunt: Si hernia non incarcerata est tumor, quem vir herniam dicit, taxi illico et sine ulla molestia reponi potest. Pari modo hiatus ille vel annulus, ex quo intestinum prolapsum est, attingendo apertissime exploratur.

Sin incarcerata est, repositione frustra facta, propria symptomata pathognomonica horis viginti quatuor elapsis haud dubie apparebunt, unde, quid verum, quid falsum sit, clarissime perspicietur.

Ubi denique hernia, quod etiam fieri potest, inveterata et concreta, ideoque minime reponenda est, medicus, propriis ejusmodi herniae signis accuratius investigatis, diu haesitare nequit.

5.

Indurationes glandularum, earumque leviores intumescentiae,

quae chronicae indicantur, sed solummodo statu inflammatorio vel catarrhali ortae sunt, illico cognoscuntur. Vel adeo impostores has glandularum indurationes tanquam abscessus per congestionem ortos in iisque partibus passim occurrentes praetexunt. Sed cursu totius morbi, exploratione speciali, denique morbis pri-

mariis, his abscessibus propriis, respectis, dubium non est, quin medicus, quid verum sit, brevi intelligat.

6.

Hydrocelen

scroto inflato simulatam esse, quae fraus facillime detectu sit, nonnulli medici narrant. [1])

7.

Prolapsus

ani simularunt, dum deceptores versuti intestinorum animalium segmenta cruore vel alia rubra materia infecta in intestinum rectum ita ingerebant, ut prolapsus farciminis instar prominerent. Qua quidem fraude eruditionis medicae expertes, minime vero medici falli possunt, quippe quae repositionis experimento et manipulatione facta illico enudetur.

---

1) Schmetzer. L. l. Pag. 134.

XV.

De statibus febrilibus simulatis et fictis.

Motus febriles,[1] congestiones adeoque inflammationes internas interdum simulatas et fictas esse, medici referunt.

1.

Status febrilis.

Quamvis, si periodos proprias ac crises respicimus, omnibus cibis ablatis, quibus irritatio systematis vasorum nervorumque, aegritudo universalis, pulsus acceleratus artificiose commoveri possunt, status febrilis, qui dicitur, vix ac ne vix quidem simuletur, plures tamen scriptores exempla motuum febrilium brevi sublatorum afferunt, in quibus simulationis suspicio certissima erat.

Namque usu fortium remediorum interno, c. c. exiguorum emeticorum et spirituosorum, utpote commotionibus corporis fortioribus, vehementibus animi perturbationibus et affectibus fortissime excitantibus, tabaco certis temporis spatiis assumto aliisque multis re-

1) Krügelstein, Promptuarium. med. for. III. Pag. 139–140.

bus motus quasi febriles elici posse, neminem fugit. Sed perscrutatio accurate et saepius repetenda, in qua praesertim respiciendus est pulsus arteriarum cordisque, calor totius corporis adauctus universalis cum vicibus horripilationum, ideoque cutis anserina auc calida et sicca vel holoserici instar mollis, humectata tamen, porro typus symptomatum regularis, praecipue vero crises sudoris urinaeque febriles, medicum de veritate aut fraude certiorem faciet, victu consentaneo et regimine mandato. Etenim nonnulli impostores noctu tantum horrores incidere dicunt, quam rem medicus impiger examinabit.

2.

Inflammationes internas fictas et praetextas

eadem, quam supra, praecipue in articulo de morbis dolorosis attuli, ratione brevi dignoscere possumus; quod quidem difficillimum foret, si simulatores neque a suis removere, neque perpetuae custodum fidorum curae et interdum observationi clandestinae et improvisae subjicere possemus.

Theses.

1) Corneam nonnisi partem scleroticae anteriorem ac pellucidam, — sicuti scleroticam ipsam esse continuationem vaginae nervi optici censeo.

2) Cutis non tantum involucrum totius corporis externum, sed etiam excretionis, resorptionis vel adeo respirationis organon.

3) In tertio morbi coxarii stadio, luxatione spontanea ossis femoris orta, omnia repositionis pericula tam frustranea quam noxia esse credo.

4) Non dubium est, quin amputatio ipso proelii tempore facta praeferenda sit multis post hebdomadibus demum factae.

5) Incarcerationem nonnullarum herniarum esse spasmodicam, quis est, qui neget.

6) Frigus externe adhibitum in inflammationibus rheu-

maticis genuinis, utpote in erysipelate damnosum opinor.

7) Nonnulli medici phthisin a tabe hac ratione distinguunt: num suppuratio organorum internorum adsit, nec ne; quam sententiam autem repugnare audeo.

8) Fetus inter partum, priusquum caput ex utero vaginaque egressum sit, vocem mittere non potest.

Quaestiones inaugurales.

I. Quaestio Praesidis:

De Vertigine.

II. Quaestio Promovendi:

Quaedam de Kreosoto.

Index.